

Liber de temporibus et etatibus. Continuatio Regina et Cronica Imperatorum

CONTINUATIO.

Eodem anno et millesimo prope sanctum Petrum, scilicet in Kalendas Iulii usque ad Kalendas Ianuarii, dominus Andriolus de Gulforanis de Cremona potestas Regii, et stetit per menses sex. Et dominus Gibertus de Arcellis de capitaneus populi Regini, qui stetit per sex menses, scilicet a Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii, et dicta civitate fecit satis bonum regimen. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto dominus Bonifacius Lupus de civitate Parme factus fuit potestas civitatis Regii per sex menses, scilicet a Kalendas Ian. usque ad Kalendas Iulii, et fuit homo satis modici valoris. Et eodem millesimo dominus Guido de Foliano de Limisina factus fuit capitaneus populi per sex menses, scilicet a Kal. Februarii usque ad Kal. Aug. Et in ipso tempore, die quinto Aprilis mortui fuerunt dominus Guido de Bianello et Bonifacius frater ipsius in pratis de Templo, dum irent ad castrum Bianelli, per Scarabellum de Canosa. Et Acolinus filius Guidonis de Bareto, et multi alii mortui fuerunt. Et dictus dominus Guido fuit detentum per potestatem, eo quod dicebatur, quod fecit fieri illud maleficium; et fuit infra pauchos dies relasatus. Eodem M. die tercio Iulii, in die pentecostes Bonifacius Boiardus cum quibusdam de illis de Bismantua et aliis sbandictis de civitate et cum multis aliis de civitate Mutine intravit monasterium sancti Prosperi, quod sibi datum fuit per prodictionem quorundam monachorum dicti monasterii; et nisi donus Guilielmus de Lupicinis abbas ipsius monasterii affugisset, dicitur, quod interfecissent; qui cum non possent ipsum habere, ipsum locum derobaverunt et ad civitatem Mutine perexerunt; propter quod in civitate fuit magna turbatio, ita quod tota civitas ad arma cucurrit; et XL stipendiarii comunis in ipso negotio valde se bene habuerunt non permittendo aliquem de magnatibus ascendere plateam comunis. Sed dominus Bernardus[Page 573]

de Foliano prepositus Carpineti fuit locutus cum domno Bartholino de Foliano ante ianuam maioris ecclesie in platea comunis, et ille rumor per Dei gratiam et opere illorum sedatus est. Et Bononienses misserunt certam quantitatem peditum ad custodiam civitatis. Eodem M. dominus Henricus de Meçivilanis de Bononia factus fuit potestas pro VI mensibus, scilicet a Kall. Iulii usque ad Kall. Ian., et fuit homo satis comunis et bonus inter ipsas partes civitatis, que erant valde discordes. Et dominus Guido de Thumba, civis Çessene, factus fuit capitaneus populi pro VI mensibus, scilicet a Kall. Aug. usque ad Kall. Febr. Eodem M. quarto die Aug. pars illorum de Saxolo et de Savignano cum suis amicis, que de civitate Mutine expulsa fuerat, ut supra continetur, facta pace per comune Parme rediit in civitatem Mutine; et omnia castra per ipsum comune Parme dirupta fuerunt pro bono pacis. Die quarto exeunte mense Novembr. facta fuit pax inter Lupicinos, Mutos et Sturgidos ex una parte, Boiardos, Roglerios et Flordebellos ex alia.

Anno Domini MCCLXXXVII. dominus Minacius de Cortesiis, civis Cremone, factus fuit potestas pro VI mensibus, scilicet a Kall. Ian. usque ad Kall. Iulii. Et eodem M. dominus Rufinus Riçardi de Parma factus fuit capitaneus populi pro VI mensibus, scilicet a Kall. Febr. usque ad Kall. Aug. Eodem M. die quarto Aprilis, in die Iovis sancto obiit dominus Honorius papa IIII, Iacobus Sabellus ante dictus, civis Romanus, apud Sanctam Sabinam intra Urbem, in quo loco habitant fratres Predicadores; et ibidem fecit fieri magna palacia et hedificia, et sepultus est in basillica sancti Petri infra domnum Nicholaum papam III. in archa multum pulcra. Et quia cardinales tunc temporis non potuerunt concordare de summo pontifice eligendo, in illa estate Romam sunt conmorati; et aliqui ex eis graves infirmitates incurerunt, propter quod aliqui diem ultimum signaverunt. Et vacavit sedes XI mensibus minus tribus vel quatuor diebus. Eodem M. die VIII. Aprilis filii domni Hugolini de Foliano, domni Matheus, Bartholinus et Nicholaus, per forciam aceperunt consortibus suis, scilicet domno Bernardo de Foliano preposito Carpineti et domno Francisco, fratri ipsius, roham de Carpineto, castrum de Paule et de Monte, que erant comunia inter ipsos, et Gissum de Malapresis domno Bernardo de Gisso. Die vero sequenti predicti domni prepositus et Franciscus cum filliis ipsius, Panceriis et aliquibus de Malatachis cum quibusdam eorum amicis de civitate Regii expulsi fuerunt; et domus[Page 574]

illorum de Canossa posita iusta plateam ipso die conbusta fuit et dirupta ex toto, in qua se reduxerant supradicti cum suis amicis, exceptis Lupicinis, qui usque ad ipsam diem credebantur eorum amici; et pro eis et ab ipsis descenderat quasi tota discordia civitatis, sed predictos expulsos noluerunt in alico adiuvare. In quo negocio predicti rectores male et debiliter se habuerunt; et creditur, quod fuerint conscii et participes dicte expulsionis. Die vero sequenti tota milicia civitatis Bononie venit ad civitatem Regii, in quam intrare non potuit; propter quod infecto negocio Bononiam rediit. Quibus rectoribus, potestate et capitaneo supradictis, de civitate Regii recedentibus, per eos qui remanserant in civitate electi fuerunt VIII rectores, scilicet domni Bartholinus de Foliano, Guido de Tripoli, Thomaxius de Robertis, Parisius de Campsoribus, Hugo de Rogleriis, Albertus Pelis-guere, Iohannes de Marchisiis, Iohannes de Gavasias, qui omnes maximi robatores fuerunt averis comunis. Unde, cum male facerent publicam utilitatem et sua marçupia procurarent extendere, factus fuit potestas dominus Guido de

Viano de Lunexana, et domnus Conradus de Boschetis de Mutina factus fuit capitaneus populi. Supradicti expulsi reduxerunt se cum illis dominis de Canosa, qui cum eis erant de una parte, ad Gissum de Crustunio, et multa alia castra infra paucos dies habuerunt, scilicet Bismantuanum, quod rehedicaverunt, et omnia castra abbatis de Canossa, scilicet Castrum-novum, Filinam, Sarcanum, Canossam, Pathernum, Mozatellas et Monte-Calvulum, et infra modicum tempus ceperunt per violenciam castrum de Monte, capiendo et interficiendo eos qui intus erant, et illud ex toto diruerunt. Deinde, cum per aliquos dies castrum de Paule obsedissent et aquam acceperunt intrinsecis dicti castri, illud per concordiam habuerunt, et quosdam pedites, qui ibant de civitate in auxilium dicti castri, quadam die iuxta illud castrum ceperunt et interfecerunt. Tempore procedente diruptis domibus ipsorum extrinsecorum domnus Matheus de Foliano ex lapidibus et lignamine ipsarum super maçelum de platea fecit fieri quandam pulcerimam domum, que vocata fuit Alta-bella, et Nicholaus frater ipsius fecit fieri unam aliam, que per Dei gratiam conpleta fuit super cassamento Mafonis et Ravanorum; que iverunt postea sicut debebant. Eodem M. de mense Iulii domnus Bernardus de Foliano prepositus Carpineti et domnus Rolandinus de Canossa cum multis militibus et peditibus de sua parte et bene cum C stipendiariis tam ultramontanis quam Lumbardis per Reginos intrinsecos, scilicet cum tota milicia tam forensium quam civium et per duos de quarteriis civitatis, et bene C militibus de civitate Mutine obsessi fuerunt in rocha Tineberga; et alii de dictis extrinsecis, qui remanserant apud Gissum et Mozatellas et ad alia castra, que tenebant, venerunt ad burgum de porta Bernonis et rocam et alia fortificia, que ibi erant, per violenciam ceperunt et multas domos dicti burgi conbuscerunt. Et in ipsis diebus domnus Albertus de la Scala cum tota milicia civitatis Verone et cum duobus filiis domni Pinamontis et maxima quantitate militum de civitate Mantue et cum[Page 575]

illis dominis de Sesso ad instanciam domni Francisci de Foliano venit in adiutorium dictorum obsessorum et cepit castrum Sancti Stephani iusta paludes, sed domnus Gerardus de Iossano, civis Cremone, potestas civitatis Bononie, cum XX anabaxatoribus de civitate Bononie venit ad ipsam rocam; et facta quadam pactione inter intrinsecos et extrinsecos, dum de ipsa rocha exirent, factis insidiis per illos de exercitu interfici voluerunt; et facto insultu per insidiantes aliqui de forensibus fuerunt graviter vulnerati, sed redeuntes in ipsam rocam multos de exercitu, qui illuc iverant causa videndi locum, credentes vere pacem esse factam, ceperunt, et aliqui vulnerati fuerunt; tamen audito rumore ab anabaxatoribus de Bononia, qui erant apud Saxolum, quod distat ab illo loco per duo miliaria, accesserunt illuc et duxerunt Bononiam domnos prepositum, Rolandinum et Bartholameum de Panceriis, omnibus aliis, qui debebant ire Bononiam, insalutatis dictis anabaxatoribus, ad propria redeuntibus, dubitantes de ipsa pace; nam publice dicebatur, quod dictus domnus Gerardus faciebat eis fieri pessima facta, sicut postea apparuit manifeste, propter promissiones factas eidem per Reginos intrinsecos et specialiter de faciendo ipsum potestatem, sicut fecerunt. Audiens predicta domnus Albertus de la Scala castrum Sancti Stephani conburi fecit ex toto et cum omnibus suis rediit ad propria. Et illi domini de Sesso venerunt ad castra dictorum extrinsecorum, quia secum erant certis pactionibus et conventionibus coligati. Eodem millesimo die VI. Septembr. domnus Thomaxinus de Saxolo cepit portam Bazoariam civitatis Mutine, et omnes Grasulfi de civitate Mutine cum multis Lanbertaciis de civitate Bononie morantes apud Mantuanam et Veronam et cum maxima multitudine militum de dictis civitatibus, tam civibus quam stipendiariis et Theotonicis missis a comite de Tirallo, venerunt ipso die ad ipsam civitatem; et quia dicta porta non potuit aperiri ex toto, civitatem habere minime potuerunt et cum dicto domno Thomaxino, qui fuerat tractor totius negotii, reduxerunt se apud Saxolum; et multi per civitatem et burgos capti fuerunt et interfecti. Milicia vero civitatis Regii perexit in auxilium Mutinensium, intrinseci cum intrinsecis, extrinseci cum extrinsecis; et euntes versus Saxolum audiverunt predicti extrinseci falsa relatione contra ipsos venire milicias civitatis Bononie, Parme, Cremone et totius partis ecclesie, de ipso loco omnes discexerunt, et per episcopatus Reginorum et Mutinensium multi capti fuerunt. Quod audientes predicti Mutinenses et Regini omnes de Saxolo discexisse, accesserunt ad locum et totum conbuxerunt; quibus ad civitatem Mutine redeuntibus, cum milicia civitatis Bononie et Parme illuc accessisset, suspensi fuerunt ad dictam portam propter illud negotium multi nobiles et potentes tam de civitate Mutine — et unus de Lanbertis de Feraria — quam plures alii per domnum Bernardinum de Ponente de Ravenna, potestatem civitatis Mutine; quod fuit in maximam superbiam et stulticiam reputatum.[Page 576]

Eodem millesimo, cum dicti domni prepositus de Carpineto et Rolandinus de Canossa fuissent, datis obsidibus, de forcia comunis Bononie die primo Decembr. relaxati, facto in comune Bononie compromiso, lata fuit quedam sententia pacis inter ipsos intrinsecos et extrinsecos civitatis Regii de parte ecclesie; que cum fuisset iniqua et attractata per dictum Gerardum de Iosano, non fuit observata. Post aliquos vero dies eiusdem mensis illi de Dallo, qui amici erant intrinsecorum, cum toto posse ipsorum venerunt ad castrum Filine et quam plures domos de curia ipsius castri derobaverunt et conbuxerunt; quod audientes extrinseci

predicti constituti ad sua castra, scilicet Gissum, Mozatellas et alia, cum maxima multitudine equitum et peditum terras illorum de Dallo intraverunt conburendo, derobando et destruendo et ceperunt domnum Saladum de Dallo et Paulucium et multos, quorum nomina et numerus ingnoratur.

Anno Domini MCCLXXXVIII. supradictus domnus Gerardus de Iossano, civis Cremone, factus fuit potestas per VI menses, scilicet a Kall. Ian. usque ad Kall. Iulii, sicut promissum fuerat per dictos intrinsecos apud rocham Tinibergam, ut fertur.

Eodem millesimo domnus Henrigitus de Martinengo de Brixia factus fuit capitaneus populi pro VI mensibus, scilicet a Kall. Febr. usque ad Kall. Aug. Et cum dictus domnus Gerardus electus fuerit in capitaneum civitatis Florencie, habuit licenciam, et in locum ipsius subrogatus fuit quidam frater ipsius. Eodem millesimo de mense Iunii omnes intrinseci civitatis cum tota milicia et duobus quarteriis et cum C militibus stipendiariis civitatis Mutine iverunt in obsidionem castrum de Monte-Calvulis, stando ibi duobus diebus. Tunc omnes extrinseci constituti ad alia castra insimul convenerunt ad castrum de Mozatellis et die XV.

Iunii, in festo sancti Viti martiris insultum fecerunt in dictum exercitum omnesque de exercitu fugaverunt, capiendo de magnis et bonis civitatis, a quibus multam peccuniam extorserunt, et multos in ipso conflictu interfecerunt et in tali puncto, quod ipsi intrinseci ab illo die inantea ante ipsos non fuerunt ausi amplius aparere. Verum cum dicti intrinseci multos in processu temporis in suos rectores elegissent per Lonbardiam, qui omnes respuerunt venire ad ipsos, elegerunt in suum potestatem domnum Guilielmum Catellanum, contestabillem XL stipendiariorum ipsorum. Dicti vero extrinseci habebant in suum potestatem et rectorem domnum Gilocham de Marianis de Cremona, virum nobilem et potentem.

Die XXIII. Iulii sepe dictus domnus Bernardus de Foliano prepositus Carpineti et archipresbyter plebis de Baysio in festo sancte Marie Magdalene cum maxima multitudine equitum et peditum ascendit montem castrum Baysii et illud incastelavit. Quod audientes intrinseci civitatis illuc ire voluerunt et usque ad montem de Visignolo perexerunt, dictis, qui dictum castrum rehedificabant, usque ad Caniculam-veterem obviam venientibus; propter quod dicti intrinseci ad civitatem sunt reversi.

Die primo Aug. subsequenti illi domini de Sesso cum auxilio et consilio domnorum Alberti de la Schala de Verona et Pinamontis de Bonaconsis de Mantua intraverunt locum Sancti Stephani et ibi castrum rehedificaverunt ducentes de Mantua et Verona butifredos et machinas et palanchatum, et episcopatum Reginorum ex parte inferiori conburebant et derobabant, prout ex parte superiori factum fuerat. Videntes intrinseci civitatis sic se undique debellari, per comunia[Page 577]

civitatum Parme, Cremone et Bononie, facto conpromisso in anbaxatoribus dictarum civitatum, inter ipsos intrinsecos et extrinsecos de parte ecclesie, omnibus illis de Sesso et de parte imperii exclusis, verbo et corde pax fuit celebrata. In festo sancti Michaelis iudex potestatis Parme et miles capitanei venerunt Regium et vice et nomine dictarum civitatum aceperunt regimen et dominium civitatis. Dicti anbaxatores seu arbitri, in quibus conpromissum factum fuerat, elegerunt in potestatem pro VI mensibus domnum Matheum de Corigia de Parma et domnum Puncinum de Puncinardis de Cremona in capitaneum, qui intraverunt in regimine civitatis de mense Octubr., octavo die exeunte dicto mense. Dicti domini extrinseci in civitatem sunt reversi cum omnibus amicis, qui secum expulsi fuerant; et a portam Sancti Stephani quedam fortificia facta fuit pro custodibus civitatis Parme, et una alia pro Bononiensibus ad portam Sancti Petri fieri debebat.

In marg. infer. f. 86. alia manu (D) suppl: Anno Domini millesimo CCLXXXVIII. die VII. exeunte Febr., in cathedra sancti Petri domnus frater Ieronibus cardinalis de ordine Minorum, civis Esculanus, electus fuit in summum pontificem et vocatus est Nicholaus VIII. Hic estate veniente apud Reate VI cardinales fecit, et hyeme rediens Romam apud Sanctam Mariam Maiorem, ubi satis magna palacia conpleri fecit, est conversatus. Estate subsequenti reversus est Reate. In sancto pentecoste ibidem me presente domnum Karolum, filium condam regis Karoli, et eius uxorem coronavit in regem Ierusalem et Scicilie, concedendo eidem omnes terras et possessiones, quas condam pater ipsius tenebat ab ecclesia Romana. Anno Domini millesimo CCLXXXVIII. domnus marchio Estensis factus fuit dominus perpetuus et generalis civitatis et episcopatus Mutine. Eodem millesimo domnus Torellus de Torellis, civis Bononie, factus fuit potestas civitatis Regii pro VI mensibus, et domnus Andreas de Marano, civis Parme, capitaneus populi, scilicet a Kall. Iulii usque ad Kall. Ian.; et antequam predicti rectores, scilicet domni Matheus de Corigia et Puncinus, discederent de civitate Regii, cum ante exitum sui regiminis inceperent tractare pacem illorum dominorum de Sesso, qui gueram apud Sanctum Stephanum faciebant, dictam pacem compleverunt inter ipsos de Sesso, Mantuanos et Veronenses ex una parte et Reginos intrinsecos ex alia, ita quod illi de Sesso debebant per VI annos stare extra civitatem et bonis suis gaudere.

Die VII. Aug. rumor quidam fuit excitatus in civitate Regii, propter quem populus curens ad arma omnes potentes utriusque partis fecit detineri et conpediri

in palaciis comunis et populi; et maxima pars dicti populi domos quorundam derobaverunt et aliquid destruxerunt, qui tempore expulsionis supradictorum dicebantur[Page 578]

fuisse culpabiles. Die sequenti milicia civitatis Parme cum potestate ipsorum et cum duabus de portis venit Regium apprehendendo dominium civitatis et burgorum; et cum essent omnes Parmenses in palatio episcopatus cum omnibus rectoribus congregati, contra domnum Torellum rumor insonuit: 'Moriatur, moriatur!' Quo protecto et deffenso a domno Andrea, clamavit populus Parmensis: 'Ad domos, ad domos!' et cum maximo impetu et furore Altabellam et alias domos illorum dominorum de Foliano iusta plateam comunis possitas incenderunt et diruerunt in festo sancti Laurencii. In vigilia beate Marie virginis dictos nobiles et potentes Parmam duxerunt et multos de maioribus et potentioribus populi, alios in diversis partibus misserunt ad confinia et acceperunt dominium quasi omnium castrorum; et dictum fuit, quod ipsa diruere volebant; unde castra quedam non potuerunt habere, scilicet Hyrberiam, Castelaranum, Borzanum et Razolum, quod domnus Guido de Tripoli acceperat custodibus Parmensibus, de quibus conbuxit unum super unam de turris, qui se noluit reddere; et quia dictus domnus G[uido] noluit venire ad precepta potestatis Parme, scilicet domni Thomaxii de Curinis de Veneciis, cui data erat potestas et dominium civitatis et episcopatus per populum civitatis Regii, domus ipsius domni Guidonis valde pulcra et magna per ipsos Parmenses dirrupta fuit. Verum cum predicti nobiles et alii de civitate Regii per multos dies stetissent in carceribus Parmensium, dominus Graxendonius de Lupicinis ibidem mortuus est et portatus Regium et sepultus in domo fratrum Minorum. Facta vero pace et concordia inter ipsos Reginos operatione et procuratione potestatum Cremone et Bononie et anbaxatorum, omnes relaxati fuerunt et Regium sunt reversi, insimul comedentes et conversantes. Post aliquos vero dies domnus Bernardus de Gisso accepit castrum Gissi, quod sibi datum fuit per custodes Parme; et multa incendia et derobationes fiebant per episcopatum tam inferius quam superius.

Eodem millesimo die XVI. mensis Decembr. mortuus fuit Petrinus Carbonus cum multa . . .; propter quod utraque pars cucurrit ad arma, et prelio incepto in hora conplectorii, cum pars superior haberet totam plateam et palacia comunis et turrim una cum palatio episcopatus, cum iam aliqui ex utraque parte mortui fuissent et vulnerati, misit pars inferior fratres Minores superiori dicendo, quod eis non placeret destruere civitatem; quod ipsi exclamantes super ipsos facere recussarunt. Propter quod ipsi inferiores per ygnem et alia ingenia ceperunt palacium comunis et ex ipso domnum Torellum potestatem, qui cum superiori[Page 579]

parte erat, violenter eiecerunt cum omnibus suis, et conbusto palatio episcopatus et omnibus domibus a latere secundo palacii comunis, contra ipsos superiores inferiores se viriliter erexerunt et de platea comunis expelerunt, vulnerando, capiando et interficiendo predictos. Propter quod ipsi ante horam matutinam in fugam conversi per pontem Levonem, quam aperuerunt, aufugerunt cum dicto domno Torello et ad sua castra, scilicet Yrberiam, Sanctum Martinum, Castrum-Arianum et ad multa alia, que habebant, se reduxerunt; et domnus Nicolaus de Canossa factus fuit potestas Regine civitatis; et omnes illi de Sesso infra tres vel quatuor dies cum omnibus amicis ipsorum redierunt in civitatem voluntate et consensu dictorum intrinsecorum, scilicet domni prepositi, illorum de Canossa et aliorum, parentelis et amicis nimum colligati.

Anno Domini millesimo CCXC. domnus Gerardus Guazonus, civis Cremone, factus fuit potestas civitatis per dictos intrinsecos et intravit regimen in Kall. Ian. Infra medium Ian. dicti intrinseci unanimiter et concorditer fecerunt domnum marchionem Estensem suum potestatem usque ad tres annos; qui dictam potestariam non acceptavit nisi per unum annum, retinendo alios duos in suo arbitrio, et intravit dictam civitatem cum maxima multitudine militum, equitum et peditum.

Eodem millesimo die . . . Febr. dictus domnus marchio dedit pro suo vicario in rectorem domnum Bernardum de Rufis de Florencia, dicto domno Gerardo Guazono cum toto suo salario et CC libr. ultra sibi donatis a comuni licenciato. Die vero . . . dicti mensis dictus domnus marchio reduxit dictos extrinsecos in civitatem et accepit fortilicias civitatis et castrorum de Razolo, Hyrberie et Albineti; et post aliquos dies rediit Ferariam ducens secum quosdam de magnatibus utriusque partis. Dictus domnus Bernardus fuit valens homo et bene se habuit in ipso regimine; et fecit reparari turrim et palatia comunis, que combusta fuerant in expulsionem supradictorum, et campanam populi cum duabus aliis fecit poni super ipsam turrim; et fecit fieri apud portam Sancti Petri magnam et pulcram fortiliciam, in qua stabant custodes dicti domni marchionis; et stetit in ipso regimine usque ad Kall. Iulii bene et legaliter faciendo; et tempore Aprilis ordinata fuit gabella omnium rerum.

Eodem millesimo domnus Mundinus Pancaldus de Vicecomitibus de Pisis factus fuit vicarius per ipsum domnum marchionem pro sex mensibus, scilicet a Kall. Iulii usque ad Kall. Ian. Hic fuit partices et in ipso regimine non bene se habuit; et fecit fieri arengeriam ad fenestras palacii veteris et destruxit illam, que erat in platea comunis iusta dictum palacium; et propter sua opera fuit depositus de suo regimine ante Kall. Ian. per X dies.

INCIPIUNT CAPITULA DE OMNIBUS ETATIBUS ET GESTIS, FACTIS
ET ORDINATIS ANTE TEMPUS CHRISTI CITRA USQUE IN HODIERNUM
DIEM INFRAScriptI LIBRI DE IMPERATORIBUS ET REGIBUS GRECORUM
ET LATINORUM ET REGUM LONGOBARDORUM ET PONTIFICIBUS,
QUI SUIS TEMPORIBUS FUERUNT, ET ALIIS GESTIS EIUDEM,
FACTIS ET ORDINATIS.

I. De Ptolomeo Dionisio et de gestis, que fuerunt suo tempore, et aliis baronibus
et de gestis Pompegii et de morte dicti Pompegii.

.....
.....

CLXXXIII. De multitudine puerorum Alamanie.
Manu saec. XIV. Add.: Et de fame valida eodem anno in Apulia et Scicilia.
CLXXXIII. De disconfita Mediolanensium facta per Cremonenses apud Castrum-Leonis
et de amissione carocii Mediolanensium.
CLXXXV. De Sybilla Tyburtina.

CLXXXVI. De XV signis terribilibus, qui venient prope finem mundi et consumationem
seculi.
CLXXXVII. Incipiunt versus Merlini.

CLXXXVIII. Nomina omnium abbatum Sancti Prosperi.
CLXXXIX. Nomina omnium episcoporum, qui fuerunt in civitate Reg.
INCIPIT LIBER CRONICE IMPERATORUM LATINORUM ET GRECORUM
ET REGUM LONGOBARDORUM ET ALIIS GESTIS.

Incipit cronica imperatorum Latinorum et Grecorum et regum Longobardorum
et aliorum nationum.
Cronica Grece dicitur, que Latine temporum series appellatur. Qualem aput Grecos Eusebius
Cesariensis edidit, et Ieronimus presbyter in Latinam linguam convertit; cronos enim Grece, Latine
tempus interpretatur. Tempora autem momentis, horis atque diebus, mensibus, annis, lustris, seculis et
etatibus dividuntur. Momentum est minimum atque tempus angustissimum, a motu syderum dictum.
Est etiam extremitas hore in brevibus intervallis, cum aliquid sibi quod atque succedit.
INCIPIT PROLOGUS.

Ut futuris omnibus cupientibus nobilium predecessorum virorum strenuis
actibus informari, prout res hystorialiter se habuerunt omnes et singule, procul
dubio veritas innotescat, presens opusculum cum delectatione multimoda factum
extat. In quorum annorum diversarum linguarum nationum et linguarum vel
viarum vivendi regum plurimorum, baronum necnon imperatorum Latinorum et
Grecorum gesta illustria, prospera vel adversa, victorie triumphales, tribulationes
multiplices, et tempore cuius pontificis unusquisque regnavit, veluti cuilibet contigit,
secundum quod percipere potest intellectus humanus, plenissime continentur.[Page 581]

I. De Ptolomeo Dionisio et de gestis, que fuerunt suo tempore, et
aliis baronibus et de gestis Pompegii et de morte dicti Pompegii.
Ptholomeus Dionisius apud Egyptum regnavit annis XXX. Apud Iudeos Alexandra mortuo viro
regnavit ann. VIII, que primogenitum Yrcanum declaravit pontificem. Temporibus Dionisii orta
est heresis Phariseorum. Apud Romanos Albanorum civitas capta est occasione civilis belli premissi,
et bellum gladiatorum fuit in Campania. Post hec nova bella consurgunt in Yspania, in Pamphylia
et in Corlia, in Macedonia, in Dalmacia; de omnibus triumphaverunt Romani. Nichomedes
rex Bithinie populum Romanum heredem instituit. Luculus Mitridatem virum insanientem
Bizantium, que nunc est Constantinopolis, fugavit et oppressit. Interrea novum bellum in Ytalia
oritur, non levius bello Anibalis. Lucullus victa Armenia et Mesopotamia et Nisibi capta primus
imperator est appellatus. Alter Luculus capta [Ca]bile et ceteris urbibus de Hesis triumphavit usque
ad Danubium et de profugis in Rodopiis montibus et multis aliis; confecto bello Macedonio, adhuc
manente Mitridatico, Creticum reparatur, ad quod Metellus missus cepit universam provinciam; unde
Urticus est appellatus. His temporibus Marcus Pontius Cato stoycus phylosophus agnoscitur.
Defuncta Alexandra Yrcanus filius Alexandri et Alexandre sedit in sede pontificali apud Iudeos an.
XXXIII; quem multum persecutus est Aristobulus frater eius; sed non Yrcani consiliarius erat
Antipater Ydumeus, cuius consilio fugit Yrcanus ad Aretam regem Arabum, qui venit in Iudeam et
obsedit Ierusalem. Audiens Pompeius, qui erat in Armenia, dissensionem fratrum, ascendens Ierusalem
cepit eam et templum prophanavit et equos, ut dicitur, in porticibus stabulavit; ob quam rem
dicitur, quod, qui fuerat in preliis fortunatissimus prius, post hec fuit infortunatus. Pompeius itaque
Ierosolimis tributum imposuit, Yrcanum pontificem confirmavit, Aristobolum captivavit, et rediens
Romam, administrationem Syrie et Iudee Scauro commisit. Hic est qui Yspaniam, Albaniam, Armeniam,
Asiam, Syriam, Lusitaniam, pyratas, Metridatem et Iudeam subiugavit; unde et imperator est
appellatus. Sed et Catelina contra patriam coniuravit, qui demum in agro Piceno cum suis confessus
est. Postmodum Gabinus Scauro succedens gentem Iudeorum per pentarchias, id est V conventus,
divisit. Sub Gabinio militabat Marcus Antonius. Gabinio successit Crassus, factus preses Syrie; qui
ut Parthos conprimeret, templum auro expoliavit; quo merito auro in os infusum interiit; cui
successit Cassius. Iulius vero Cesar de Germanis, Gallis, Britanis triumphavit et omnes inter
Renum et Rodanum et Alpes usque oceanum subiugavit. Appius rex populo Romano Libiam
testamento concessit. Eisdem temporibus Virgilius in pago qui dicitur Andos iuxta Mantuam nascitur,
qui postea Cremone studuit, Mediolani et inde Romam venit. Oratius Venusi nascitur. Appollodorus
Grecus orator, Titus Livius storicus et Curio promptus orator claruerunt. Rediens Iulius de
Gallia victor Romam, exercitu dimisso apud Ariminum, quesivit alterum consulatum, sed contradictum
est a Pompeio, Marcello et Catone. Ideoque Iulius Cesar solvit Aristobolum Rome ligatum,

et mittens cum exercitu sperabat optinere victoriam; sed ab amicis Pompegii occisi sunt Aristobolus et Alexander filius eius; alius vero filius Antigonus fugit ad quendam Ptolomeum, qui accepit sororem Antigoni uxorem et genuit Lisaniam, qui post fuit Abiline tetrarcha. Et reversus Iulius ad exercitum contra patriam se armavit. Pompeius autem et omnis senatus et universa nobilium multitudo de Urbe aufugit et in Greciam transivit et contra Cesarem bellum paravit; Cesar utique vacuum Urbem ingressus se dictatorem fecit. Inde vadens in Yspaniam exercitum Pompegii superavit. Inde transiens in Greciam cum Pompegio in Emathia dimicavit. Unde Lucanus:

Bella per Emathios plus quam c[ivilia] c[ampos].

Pompegius victus fugit in Alexandriam, ut a Ptholomeo rege Egypti peteret auxilium. Sed et Ptholomeus occidit eum et capud et anulum misit ad Cesarem. Cesar autem Alexandriam ivit et cum Ptholomeo navali certamine dimicavit; cuius corpus in lorica aurea fuit inventum. Eo mortuo regnum Cleopatre sorori eius, cum qua consuetudinem stupri habuerat, dedit; regnavit an. XXII, et fuit dicta Cleopatra soror et uxor dicti Ptholomei. Hec a serpente periit; et sic regnum Ptholomeorum vel Lagidum defecit, quod stetit per annos CCXCV. Antipater[Page 582]

autem fuerat cum Pompeio, sed eo mortuo Cesari adhesit et Egyptios ad obsequendum Cesari sua prudentia inclinavit; eius ergo gratia Cesar pontificatum confirmavit Yrcano, fecit Yrcanum regem et Antipatrem iudicem procuratorem. Post modum in Tesalia, Affrica, Yspania cum Pompegii fauctoribus de omnibus triumphavit; Romam rediens singulare imperium optinuit.

II. De Iulio Cesare et de eius gestis et de morte eius.

Iulius Cesar regnavit apud Romanos ann. IIII, men. VII; fuerat autem Rome imperatum sub VII regibus ann. CCXLIII, postea vero sub consulibus rex acta est ann. CCCCLXIII; cepitque Iulius imperare anno primo Cleopatre et anno post pontificatus Yrcani; cum igitur honores ex sua voluntate prestaret et senatus ad se venienti non adsurgeret, coniuratum est contra eum, et XXIII vulneribus dolo Bruti et Cassii confossus est, vir, quo nullus umquam bellis enituit. Nam quinquagies

dimicavit; quo nullus celerius scripsit, nemo velocius legit, quaternas epistolas simul dictavit; tante fuit bonitatis, quos armis subegerat, clementia magis vinceret; ab hoc Cesare principes Romanorum cesares appellati sunt. Iulius Cesar Ydibus Marcii occisus est in curia a senatoribus occisus est; obiit autem anno etatis sue LVI; cuius corpus combustum est et tumulatum in columpna que Iulia nuncupatur. Ante mortem eius fulmen cecidit in foro, quod de nomine eius statue superposito C litteram capitalem abruptit; et fenestre thalami eius tanto strepitu sunt aperte, quod domum rupturam crederet; eadem die date fuerunt ei, cum iret in Capitolium, littere mortis indices, que in manu occisi nondum solute fuerunt invente; post mortem eius tres apparuerunt in oriente, convenientes in unum corpus solare, significantes, quod trium potestates redirent in monarchiam, vel significantes, quod noticia trini et unius Dei toti orbi iminebat futura. Rome basilica Iulia dedicatur. Antonius mensem Quintilem Iulium nominavit, quia in eo mense Iulius natus est. His temporibus boves in suburbano Rome ad aratorem locuti sunt frustra se urgeri, dicentes magis defuturos homines quam frumenta. Nota Pompeium in Egypto a Ptholomeo rege Egypti occisum esse, cum Pompeius ad eum confugeret; unde Cesar eum persecutus occidit Ptholomeum, pro eo quod ausus fuerit principem Romanorum occidere. His temporibus Servius Sulpicius iurisperitus et Publius Servilius Ysaricus claruerunt; Cassius in Iudea templum expoliavit.

III. De Octaviano imperatore et de gestis et actibus, que fuerunt suo tempore.

Octavianus Cesar Augustus regnavit apud Romanos ann. LVI et men. V, ann. XII cum Antonio, XLIII solus. Anno ab Urbe conducta DCCX; quidam dicunt DCC minus VIII. Nam Antonius concussos persequeretur, fovebat. Ergo contra Antonium missi sunt duo consules et cum eis tercius, scilicet Octavianus adulescens XVI an. Natus patre Octaviano senatore, maternum genus tradens per Iuliam familiam, nepos Iulii Cesaris. Cui Cesar suum dedit nomen et hereditatem testamento reliquit; igitur hii profecti contra Antonium iuxta Mutinam vicerunt eum, et ecce rursus civilia bella. Sed post duo consules mortui sunt, et illi exercitus Cesari paruerunt; qui cum Antonio pacem fecit et cum exercitu et Antonio Romam rediit. Item Antipater mortuus est bibendo venenum; quatuor habebat filios, scilicet Fasellum procuratorem Iudeorum, Herodem procuratorem[Page 583]

Galilee, Iosippum, Ferroram, et filiam Salomam. Itaque reversi sunt Antonius et Octavianus, mortem Cesaris vindicante occiderunt Ciceronem oratorem et multos nobiles, et post hec Brutum et Cassium. dimicantes optinuerunt, diviseruntque inter se rempublicam; Octavianus Yspaniam, Galliam et Ytaliam, Antonius Asiam, Pontum, Syriam et Orientem; qui de Fasello et Herode procuratoribus tetrarchas effecit. Sed rex Parthorum Ierusalem obsedit et Antigonum [in] regnum restituit, tradens ei Yrcanum et Fasellum. Herodes autem fugiens venit Romam et coronatus est in regem super Iudeam. Rediens Herodes cum Romanis cepit Ierusalem, et Antonius occidit Antigonum et confirmavit Herodi regnum. Ad hec Antonius repudiata sorore Cesaris Octaviani —; contra quem Antonius eius cognatus, cuius baiulus post mortem Cesaris remanserat, nitebatur multo certamine ei auferee imperium, et duxit in uxorem Cleopatram reginam Egypti, potentissimam in auro et argento et lapidibus preciosis et populo. Cumque Antonius et Cleopatra cum magno apparatu navium et populi contra

Romam venire cepissent, hoc Rome auditum est. Octavianus vero cum ingenti apparatu obviam ivit et aggressus est eos ad Epyrum, et sic orta est pugna. In qua pugna navis regine, que tota erat deaurata, cepit declinare. Quod Antonius videns declinavit; quem insecutus est usque Alexandriam; qui irrui in ferrum et se ipsum occidit. Cleopatra autem videns conservatam se pro triumpho, ornata auro et lapidibus preciosis voluit sua pulchritudine Octavianum decipere, sicut ceteros ad libidinem specie provocare, sed non est flexus, immo eam custodiri precepit. Videns igitur se despectam, intravit ita ornata manseolum viri sui et posuit ad mamillas duas ptisinas, quod est genus serpentis. Octavianus autem tulit inde infinitam pecuniam ex illa victoria et triumphavit Alexandriam et Egyptum et totam regionem orientis, et ita victoriosus reversus est Romam. Et susceperunt eum senatores et

Liber de temp. Add.

Ista hystoria tractat de victoriis Octaviani imperatoris et aliorum imperatorum et debet esse in principio libri, ubi tractat de hystoria Octaviani, et ubi invenies istud signum crucis:

Interfecto Iulio Cesare a senatu, Octavianus eius nepos sumpsit imperium. Contra quem Antonius eius cognatus, cuius baiulus post mortem Cesaris remanserat, nitebatur multo certamine ei auferre imperium, et repudiata Ottaviani sorore duxit in uxorem Cleopatram reginam Egypti, potentissimam in auro et argento et lapidibus preciosis et populo. Cumque Antonius et Cleopatra cum magno apparatu navium et populi contra Romam venire cepissent, hoc Rome auditum est. Ottavianus vero cum ingenti apparatu obviam ivit et aggressus est eos ad Epirum, et sic orta est pugna. In qua pugna navis regine, que tota erat desurata, cepit declinare; quod Antonius videns declinavit; quem insecutus est usque Alexandriam; qui irrui in ferrum et mortuas est. Cleopatra autem videns conserratam se pro triumpho, ornata auro et lapidibus preciosis voluit sua pulchritudine Octavianum decipere nec potuit. Videns igitur se despectam, intravit ita ornata mauseolum viri sui et posuit ad mamillas suas duas ptisinas, quod est genus serpentis; et ita suaviter suxerunt, quod obdormivit et mortua est. Ottavianus autem tulit inde infinitam pecuniam ex illa victoria et triumphavit Alexandriam et Egyptum et totam regionem orientis, et ita victoriosus reversus est Romam. Et susceperunt eam senatores

[Page 584]

omnis populus Romanus cum magno triumpho. Et quia victoria ista fuit in Sextilibus Kalendis, posuerunt ei nomen Augusti ab augendo rempublicam; statuerunt, ut omni anno in Kalendis Augusti tota civitas habeat festivitatem illius victorie ad honorem Octaviani Cesaris, et tota urbs floreat et gaudeat in tanta festivitate. Hic ritus [pervenit] usque ad Archadii viri Eudoxie tempus; que mortuo eius marito remansit cum filio suo Theodosio parvulo, que viriliter regebat imperium, ac si vir eius Archadius viveret. Inspirante divino nutu et negotio rei publice ivit Ierosolimam, sepulchrum Domini et alia sanctuaria visitatura. Inter multa negocia rei publice cumprovinciales e detulerunt ei

ingentia munera. Et cogitavit non alibi eas catenas poni, nisi ubi beati Petri corpus requiescit in pulvere. Veniens autem Romam in Kalendis Augusti vidit illum antiquissimum ritum paganitatis a populo Romano tam celebrime fieri in Sextilibus Kal., quem nullus Romanorum pontificum remove potuit; aggressa est papam Pelagium et senatores et populum, quatinus hoc munus, quod petere vellet, ei concederetur. Cui diligenter condonare promisserunt. Regina vero dixit: Video nec tam sollicitos in Sextiles festivitates in honorem imperatoris mortui Octaviani pro victoria quam fecit contra Egyptiis. Rogo vos, ut michi donetis honorem imperatoris mortui Octaviani ad honorem imperatoris celestis et apostoli Petri, cuius catenas a Ierosolimis adduxi. Et sicut ille liberavit nos ab Egyptiaca servitute, ita ille imperator celestis liberet vos a servitute demonum. Et volo facere ecclesiam ad honorem Dei et beati Petri ibique ponere catenas; quam ecclesiam et dominus apostolicus dedicet in Kal. Augusti, et vocetur Sanctus Petrus ad Vincula; ubi dominus apostolicus annualiter in hac ecclesia missarum sollempnia celebret; et sicut beatus Petrus ab angelo fuit [a vinculis absolutus], ita Romanus *Liber de temp. Add.* et omnis populus Romanus cum magno triumpho. Et quia victoria ista fuit in Sextilibus Kalendis, posuerunt ei nomen Augusti ab augendo rem publicam, et statuerunt, ut omni anno in Kalendis e Augusti tota civitas habeat festivitatem illius victoriae ad honorem Octavianie Caesaris Augusti, et tota urbs floreat et gaudeat in tanta festivitate. Hic ritus pervenit usque ad tempus Archedii viri Eudoxie; mortuo eius marito remansit cum filio suo Theodosio parvulo, que viriliter regebat imperium, acsi vir eius Archadius viveret. Inspirante divino nutu et negotio rei publice ivit Ierosolimam, sepulchrum Dei et alia sanctuaria visitavit. Inter multa negotia rei publice et provinciales detulerunt ei ingentia munera; inter que quidam Iudeus attulit ei catenas illas Petri apostoli, quibus ligatus fuit ab Herode in carcere sub quatuor quaternionibus. Quas ut vidit regina, letata est super omnia alia munera. Cogitavit non alibi eas catenas poni, nisi ubi beati Petri corpus requiescit in pulvere. Veniens autem Romam in Kalendis Augusti vidit illum antiquissimum ritum paganitatis a populo Romano tam celebrime fieri in Sextilibus Kal., quem nullus Romanorum pontificum remove potuit; aggressa est papam Pellagium et senatores et populum, quatenus hoc munus, quod petere vellet, ei concederetur. Cui diligenter condonare promiserunt. Regina vero dixit: 'Video vos tam sollicitos in Sextiles festivitates in honorem imperatoris mortui Octaviani pro victoria, quam fecit de Egyptiis. Rogo vos, ut michi donetis honorem imperatoris mortui Octaviani ad honorem imperatoris celestis et apostoli eius Petri, cuius catenas a Ierosolimis adduxi. Et sicut ille liberavit nos ab Egyptiaca servitute, ita iste imperator celestis liberet nos a servitute demonum. Et volo facere ecclesiam ad honorem Dei et beati Petri ibique ponere catenas; quam ecclesiam dominus apostolicus dedit et in Kal. Augusti, et vocetur Sanctus Petrus ad Vinpopulus[Page 585]

cum benedictione a peccatis absolutus

recedat. Quod populus audiens gravissime suscepit, tandem a pape et regine concessit. Que fabricavit ecclesiam, quam dominus papa dedicavit in Kalendis Augusti, sicut Eudoxia christianissima imperatrix proposuerat; ubi posuit catenas beati Petri prelibatas et catenas beati Petri Neronianas et beati Pauli, ut ibi populus Romanus in hoc die Kalendarum Sextilium confluat et salutet catenas apostolorum Petri et Pauli.

Liber de temp. Add.

cula; ubi dominus apostolicus annualiter in hac ecclesia missarum sollempnia celebret. Et sicut beatus Petrus ab angelo fuit, ita Romanus populus cum benedictione a peccatis absolutus recedat'. Quod populus audiens gravissime suscepit, tandem rogatu pape et regine concessit. Que fabricavit ecclesiam, quam dominus papa dedicavit in Kalendis Augusti, sicut Eudoxia christianissima imperatrix proposuerat; ubi posuit catenas beati Petri prelibatas et catenas beati Petri Neronianas et beati Pauli, ut ibi populus Romanus in hoc die Kalendarum Sextilium confluat et salutet catenas apostolorum Petri et Pauli.

III. De visione, quam vidit Octavianus imperator de beata Maria cum Christo filio suo, et ara celi aperta est precibus et orationibus Sibille, ubi predictus Octavianus beatam virginem Mariam cum Christo tenentem in brachiis Christum filium eius vidit in camera predicti imperatoris, ubi et aparuit in Capitolio.

Tempore predicti Octaviani imperatoris senatores videntes eum tante pulcritudinis, quod nemo in oculos eius intueri poterat, et tante prosperitatis et pacis, quod totum mundum sibi tributarium fecerat, dicunt: Te adorare volumus, quia deitas est in te. Si hoc non esset, non tibi omnia subirent prospera; qui renuens inducias postulavit, et ad se Sibillam Tyburtinam vocavit, cui quod senatores dixerant recitavit. Que spacium trium dierum peciit, in quibus artum ieiunium operata est; post tertium diem respondit imperatori: Hoc pro certo erit, domne imperator:

Iudicii signum: tellus sudore madescet,

E celo rex adveniet per secla futurus,

Scilicet in carne presens, ut iudicet orbem.

Unde Deam cernunt incredulus atque fidelis

Celsum cum sanctis evi iam termino in ipso.

Sic anime eum carne aderunt, quas iudicet ipse.

Cum iacet incultus densis in vepribus orbis,

Reicient simulacra viri, curam quoque gaçam[Page 586]

Exuret terras ignis, pontumque polumque

Inquirens tetri portas effringet averni.

Sanctorum sed enim cuncte lux libera carni

Tradetur, sontes eterna fama cremabit.

Ocultos actus reteen tunc quisque loquetur

Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.

Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.

Eripitur solis iubar et solis interit astris.

Volvetur celum, lunaris splendor obibit.

Deiciet colles, valles extollet ab imo.

Non erit in rebus hominum sublime vel altum.

Iam equantur campi, montes et cerula ponti.

Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.

Sic pariter fontes torrentu n fuminaque igni,

Et tuba tum sonitum tristem dimittet ab alto

Orbe gemens facinus miserum vanosque labores,

Tartareumpue chaos monstrat terra deinceps,

Et coram hic Domino reyes sistentur ad unum.

Procedit e celo ignisque et sulphuris amnis.

Hec de Christi nativitate, passione et resurrectione atque secundo eius adventu tradita sunt, ut

si quis in Greco capitulo horum versibus discernere voluerit, inveniet: *Iesus Christus, hios theu,*

soter. Quod in Latinum translatis eisdem versibus apparet, preter quod Grecarum litterarum proprietas

non adeo potuit observari. Credo vos, o inimici Iudei, tantis testibus ita obrutos confuturos

esse ipsa veritate, ut nichil aliquid repugnare, nichil querere debeatis.

F. 92. picta est Maria virgo candida veste amicta, tenens filium (a cuius utroque latere angeli

caput e caelo eam intuens), in nubibus caeruleis apparens Augusto et Sibyllae, qui in via ante portam

basilicae cuiusdam stantes digitis sursum intendunt. Cui picturae subterscripta sunt quae sequantur.

Illico apertum est celum, et nimius splendor irruit super eum, et vidit in celo quandam

pulcherimam virginem stantem super altare, puerum tenentem in brachiis, et miratus est nimis, et

vocem dicentem audivit: Hec ara fili Dei est. Qui statim procidens in terram adoravit. Quam visionem retulit senatoribus, et ipsi mirati sunt nimis. Hec visio fuit in camera Octaviani imperatoris ubi nunc est ecclesia sancte Marie in Capitolio. Idcirco dicta est Sancta Maria Ara-celi. Hunc locum modo inhabitant fratres Minores.

Anno Octaviani Augusti. Natus est Iohannes Baptista anno XLI, qui exultavit in utero matris et natus solvit linguam patris; predixerat enim angelus Zacharie sacerdoti seni, quod de Helyçabeth sterili et sene filium generaret; quod quia discredidit, factus est mutus. In sexto vero mense missus est angelus Gabriel in civitatem Naçareth ad virginem Mariam, desponsatam Ioseph, dicens: *Ave Maria, gratia plena. Dominus tecum* et cet. ut in evangelio continetur. His temporibus Octaviani fontem olei manasse de Transtiberim usque in Tyberin e taberna meritoria per totam diem, significans gratiam Christi ex gentibus; et circulus ad speciem celestis arcus circa solem apparuit eiusdem gratie significativus. Temporibus Cesaris Octaviani Augusti Falcidius legem tulit, que Falcidia nominatur. Virgilius, Oratius, Ovidius Naso, Varius et Nicea, Emilius Veronensis, Quintilius Cremonensis poete et Cornelius et Salustius ystorici, Artorius medicus Augusti, Varo phylosophus,[Page 587]

Albucius Novariensis et Mesali et Corvinus rethores fuerunt. Egyptus itaque Romano imperio per Octavianum subacta est anno XV regni eius; apud quam regnatum fuerat post Alexandrum per XII reges ann. LXXXVI. His temporibus Herodes contra regem Arabum ab Antonio missus fuerat, sed rediens in gratiam Cesaris admissus est; et amplians ei regnum tradidit ei Trachonidem et Miream et totam maritimam usque ad Pyrum Simeonis, deditque ei Cesar CCCctos Galathas satellites, qui postea vocati sunt Herodiani. Eodem tempore, ut ait Tertulianus, vel pocius XLII. ann. imperii Cesaris Augusti et XXXII. regni Herodis, Maria peperit filium primogenitum. Hic est finis quinque etatis, que senectuti comparatur, eo quod in hac plebs Hebrea multis malis oppressa est, et continuit generationes XIII. Fuerunt anni ab Adam usque ad Christum an V milia CXCVIII, a diluvio CCC minus XLIII, ab Abraam duo milia XV, a David CCCLVI, a transmigratione Babilonis DLXXXVIII, alii dicunt DLXXXVI, ab Urbe condita DCCLII, quidam dicunt XXXIII. Not. ad cuius tempus elucidandum aliquot annos, qui ad rem pertinent, singulariter et evidentiùs declaremus.

Anno igitur Octaviani Augusti X defecit pontificatus Iudeorum. Anno XI alienigena, filius Antipatri Ascalonite et matris Epyridis Arabice, suscepit, ut prediximus, a Romanis Iudaicum regnum; cuius principatus modo per duces, modo per reges, modo per pontifices, fuerat actenus a Iudeis optentum. Iminente vero Christi nativitate ad alienigenam translatus est, ut adimpleretur illud propheticum: *Non deficiet princeps vel non auferetur sceptrum de Iuda nec dux de femore eius, dum [donec] veniat qui venturus [mittendus] est, et ipse e[rit] ex[pectatio] gen[tium].* Sed Herodes combussit libros geneologie gentis Iudee, ut deficientibus probationibus crederentur ad eum pertinere. Hic conplentur LXVIII an. ebdomade Danielis, que faciunt CCCCLXXXIII. Defecit etiam successio generis sacerdotalis, cum emeretur sacerdotium a Romanis Anno Octaviani Augusti LXVII. et regni Herodis XXXVII scatentibus e corpore verbibus miserabiliter mortuus est; qui fuit in aliis fortunatissimus, sed in domesticis infelicissimus. Qui multas civitates construxit, scilicet Cesaream, que Turris Straconis antea vocabatur, Samariam reparans Sebasten, id est Augustam, nominavit. In Ierusalem multas domos edificavit et turrim, quam ad honorem Antonii vocavit Antoniam, sed nunc dicitur turris David; construxit et aquilam auream super Speciosam portam templi ad honorem posuit Romanorum, quem Iudei deiecerunt in morte ipsius; fecit et in Ascalone domum regiam, unde Ascalonita vocatus est; fecit et templa multa ad honorem Cesaris, sed et templum Domini decoravit. In singulis Syrie urbibus opera multa construxit, sed homicidia et paricidia multa conmisit. Nam Yrcanum et filium eius et sororem suam, uxorem cum duobus filiis et socrum et duos viros sororis, unum post alium, fecit occidi. Iussit quoque sileam nobiliores in morte sua Iudeos occidi, ut eo mortuo plangeret universus Iudea saltem invita; et cum de VIII uxoribus numerosam genuit prolem, tres iussit occidi, Antipatrum, Alexandrum et Aristobolum; tres autem superstites extiterunt, Archelaus, Herodes Antipater et Phylipus. Aristobolus vero reliquit filium suum Herodem Agrippam et filiam Herodiadem; mortuo Herode orta est inter fratres de regno seditio. Inter quos, cum Rome coram Cesare litigassent, Cesar regnum divisit, medietatem Archelao, aliam medietatem inter Herodem Antipatrem et Phylipum; Archelao quidem Iudeam tradidit et Ydumeam, Herodi regionem trans flumen et Galileam, Phylipo Ituream et Traconitidem. Factus est Archelaus diarchus, sed quandoque monarchus, intellige secundum oppinionem vulgi vel promissionem Augusti vel iactantiam sui Herodes autem et Phylipus facti sunt tetrarche. Anno XLVIII. regni[Page 588]

Augusti et primo Archelai et septimo fuge Christi monitus est Ioseph per angelum, ut rediret in terram Israel, sed audiens, quod Archelaus regnaret in Iudeam, noluit illuc venire, sed veniens in Gallileam cum matre et puero et habitavit in Naçareth. Anno Augusti LIII, cum esset puer Iesus XII an., ascendit Ierosolimam cum parentibus ad diem festum et sedit in templo in medio doctorum audiens, interrogans. His temporibus censum Rome agitato inventa sunt hominum nonagies et trecenta et sexaginta milia. Romam veniens Archelagius, cum acusaretur, a Cesare dampnatus est et apud Vienam in exilium relegatus. Sol eclipsim patitur, et Augustus moritur, cum regnasset XIII an. post nativitatem Domini. Aiunt quidam, quod regnavit an. LVI, men. VI, di. X.

V. De Tyberio Cesare, filio Octaviani adoptivo et genero, et de Pontio Pilato, quem dictus cesar procuratorem Iudee instituit, et de gestis et actis, que fecit et fuerunt suo tempore.

Tiberius Augustus filius adoptivus fuit Octaviani Cesaris, apud Romanos regnavit ann. XXIII. Hic vivente Augusto sub eo de Rethys, Vindelicis, Armenis et Pannoniis triumphavit. Ideoque Augustus adoptavit eum in filium; fuit enim privignus eius et gener; similiter adoptavit et Agrippam, id est Herodem. Tyberius adoptatus Darmatas, etiam Sarmatas in Romanam redegit potestatem. Factus imperator multos reges ad se per blandicias vocatos non remisit. Inter quos Archelaum Capadocem retinens, cuius regnum eius in provinciam vertit, et Maçacam civitatem, capud regni,

Cesaream appellavit. Hic Tyberius vino inclusit, unde, cum nomen haberet Claudius Tyberius Nero, ioculatores vocabant eum Caldius Biberius Mero; apud Iudeos relegato in exilium Archelao missi sunt procuratores, unus post alium, Componius, Marcus, Annius Cuphys, Valerius, qui sepe vendidit sacerdocium. Anno XII Tyberii Cesaris Phylippus tetrarcha Paneadem Cesaream Phylipi vocavit, constituens in ea plurimas edes, et Sephorum aliam civitatem Iuliam vocavit. Anno XIII Valerio Romam reverso Tyberius Pontium Pilatum Iudee procuratorem instituit, qui Ierusalem veniens statuas Cesaris erexit; et cum Iudei supplicaverunt de statu is amovendis, minatus est eis mortem; at illi pocius mortem eligebant, quam leges patrias prophanarent; admirans itaque Iudeorum constanciam in legalibus institutis, statuas iussit auferi. Anno XIII. Tyberii Herodes tetrarcha Tyberiadem condidit et Libiadem. Anno XV imperii Tyberii Cesaris, procurante Pontio Pilato Iudeam, tetrarcha autem Galilee Herode, Phylippo autem fratre eius tetrarcha Yturee et Traconitidis regionis, et Lisania Abiline tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Chaypha predicant baptismum penitencie in remissionem peccatorum, et veniens omnis Iudea in Betharam regionem trans Iordanem baptizabatur ab eo. Erat autem Iohannes vestitus pilis camelorum, et çona pellicea circa lumbos eius; locusta et mel silvestre comedebat, in deserto inhabitans. Eorum tempore erant tres secte Iudeorum a comuni vita et opinione distantes. Pharisei phylateria, scilicet pictacia cartarum, quibus Decalogus erat inscriptus, in brachiis et in fronte gerebant et spinas in fimbriis; animas defunctorum dicebant transire in alia corpora usque ad resurrectionem. Saducei negabant resurrectionem, putantes animas cum corporibus interire. Essei, vita quasi monachi, dicebant animas omnes a principio creatas pro temporibus incorporari. Eodem tempore dicti Tyberii Cesaris exierunt Scathoarii de Scanadabia insula in mari oceano posita, qui venientes iusta Renum fecerunt burgos, ideoque dicti sunt Burgundiones; cuius terre primi habitatores dicebantur Allobroges. Et cum regnasset Tyberius annis V post passionem Domini, mortuus est. Eodem tempore sudarium Veronice deportatus fuit Rome de Ierusalem, et liberatus fuit Tyberius a lepra, et vindicta Christi facta fuit de Iudeis propter mortem Christi, et mortui et destructi fuerunt principes sacerdotum et venditi per Titum et Vespasianum, et Pilatus in navi vivus deductus fuit Rome.[Page 589]

VI. De Gaio Gallicula et de Herode tetrarcha, qui occidi fecit Iohannem Baptistam, et de gestis, que fecit et fuerunt suo tempore. Anno ab incarnatione Domini XXXVIII. Gaius Gallicula regnavit apud Romanos an. IIII, men. X. Hic fuit sceleratissimus. Nam cum sororibus suis stupra commissit, post eas exilio condemnavit. Hic anno primo imperii sui Agrippam, id est Herodem, de vinculis liberavit et Iudee regem instituit; qui apud Iudeos regnavit an. VII. Herodem vero tetrarcham apud Lugdunum exilio condemnavit, ubi cum Herodiade adultera extrema mortuus est egestate; puellam, que capud Iohannis petiit, vivam transglutivit. Anno ab incarnatione Domini XXXVIII, anno XVII. vel secundum quosdam XVI. imperii Tyberii Cesaris Herodes tetrarcha iussit decolari Iohannem Baptistam; capud datum est puelle in disco, et humatum est corpus in Ierosolimis; discipuli sepelierunt in Sebaste; audivit autem Herodes famam de Iesu et dubitabat, an esset Iohannes, qui resurrexisset a mortuis, et querebant eum videre. Tempore Gaii Gallicule Poncius vero Pilatus incidens in multas calamitates, demum se propria manu occidit. Gaius Gallicula iussit in templo et synagogis Iudeorum et suas et Iovis ymagines erigi et se dominum vocari. VII. De Gaio Gallicula, qui relaxavit Herodem de vinculis, et de morte beati Iohannis Baptiste, et de gestis, que fecit et fuerunt suo tempore.

Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi XLIII. Claudius patruus Drusi, qui apud Magunciam sepultus est, regnavit apud Romanos an. XIII, men. VII, di. XXVIII. Hic de Britanis triumphavit et Orcades insulas Romano adiunxit imperio. Rex Agrippa alio nomine dictus est Herodes occidit Iacobum fratrem Iohannis gladio. Sed hic qui eum optulerat ad martyrium capite punitus est, quia confessus se esse Christianum; Petrum quoque misit in carcerem, sed angelus Domini eripuit eum de manibus Herodis. Anno IIII. descendens Herodes vel Agrippa in Cesaream, sedens pro tribunali gloriabatur; et post mortem inter deos relatus est et divus appellatus. Cuius temporibus descriptione facta Rome LXVIII centena XLIII milia, alibi dicitur sexies mille milia DCCCCXLI milia, hominum inventa sunt; eiusque temporibus XXX milia virorum in die pasce constipatione populi in foribus templi necantur, ut dies festi converteretur in luctum. Anno VI. Claudii tanta fames fuit Rome, quod imperator vix furore plebis evasit. Post hec Claudius patri Agrippe filium Agrippam substituit in regnum Iudeorum, et regnavit apud Iudeos an. XXXVI. Eodem tempore Felix quendam Egyptium, falsum prophetam, qui multa milia virorum congregaverat, ut irruerent in Ierusalem, de quo Actus apostolorum faciunt mentionem, in fugam convertit; cum itaque Paulus coram Felice fuerit accusatus, Felix liberam concessit ei custodiam; anno VIII. Iudeos tumultuantes Roma eiecit.

VIII. De Nerone imperatore, qui multa mala fecit et fieri fecit suo tempore, quia interfecit matrem, amittam et uxorem, fratrem et magistrum suum Senecam; et de morte beati Iacobi, Marci, Petri et Pauli et Lucani et aliis gestis.

Anno ab incarnatione Domini LVIII Nero apud Romanos regnavit an. XIII et men. VII, di. XXVIII. Hic fuit similis Gallicule avo suo et eo peior, quia matrem, amittam, uxorem, fratrem et magistrum suum Senecam occidit, qui fuit de civitate Cordubensi, patruum Lucani; et civitatem incendit ad similitudinem ardentis Troie videret; in re militari nil ausus fere Britanniam perdidit et Armeniam. Qui tante fuit luxurie, ut retibus aureis et funibus purpureis piscaretur; Rome terminas edificavit. Anno VII. imperii Neronis Iacobus frater Domini, Ierosolimitanus episcopus, de pinaculo templi pertica fulonis iactatus et mortuus est. Anno secundo imperii sui Festum Felici[Page 590]

substituit presidem Palestine, a quo Paulus Cesarem appellavit; cui Festus: Cesarem appellasti, ad Cesarem ibis; cum rex Agrippa venisset Cesaream ad salutandum Festum, indicavit Festus regi de Paulo; coram quo Paulus etiam conparuit. De morte beati Marci evangeliste multipliciter est

scriptum. In Passione sua legitur, quod imperantibus Gaio et Iunio, alibi, quod primo Neronis anno, quod VIII. mortuus est. Hic Petri in baptisate filius et in sermone discipulus fuit. Hic evangelium in Ytaliā scripsit rogatu Romanorum, ut quod Petrus docuerat verbo litterati in memoria conservarent; post hec in tota regione Epypti baptizatum ordinavit episcopum; multos quoque varios infirmos sanavit, leprosos mundavit, demoniacos liberavit; demum ecclesia constructa per fratres in loco qui Buculus nominatur, insidiatores in mense Parmuthi, id est Aprili, et festivitate Serapiaca fune trahentes eum dicebant: Trahamus bubalum ad Buculi; sanctus vero Domini gratias agens domino Iesu Christo, dicens: In manus tuas, Domine, co[m]mendo] spiritum meum. Et tunc, cum gentiles reliquias eius conburere, facte sunt tenebre, tempestas et ymber. Posuerunt ergo iusti corpus eius in Alexandria in loco lapidis excisi, cum gloria venerantes memoriam eius; quod longo tempore post Venetias creditur esse translatum, ubi colitur et veneratur; et merito ad Ytaliā translatum est, ubi eius evangelium primo predicatum. Cuius discipulus fuit Hermogenese Aquilegiensis; Hermagora vero Syrus et Yvencius Papienses claruerunt. Eodem tempore Neronis discipuli vero Pauli fuerunt discipuli Dionisius Ariopagita, qui apud Athenas sacerdocium adeptus est, et Crescens, Trophinus, qui ad Gallias profecti sunt, et Lucas qui ad eius doctrinam scripsit euuangelium et ad eius sequelam Actus apostolorum. Demum vero, cum a Romanis quereretur ad penam, quia magnam partem senatus occiderat, a senatu fugatus est et occisus. Dicitur, quod se ipsum occidit; et in eo omnis Augusti familia consumpta est. Temporibus Neronis Lucanus claruit, qui deprehensus in coniuratione quadam brachium ad secandas venas prebuit. Oracius rethor, qui et Thebaidos appellatur. Eo tempore terremotus Rome et in Asia fuerunt; fulmen cecidit ante mensam Neronis. Eiusque tempore Clodoveus angelo de celis oleum deferente baptizatus est. Et Cornutus poeta, magister Persii, claruerunt, sed Cornutum Nero misit in exilium. Eodem tempore Neronis, anno XII. Neronis et XXXVI. post passionem Domini et LXX. ab incarnatione alibi dicitur XIII. Neronis et XXXVIII. dominice passionis Nero Petrum occidit crucis patibulo, capite deorsum, sicut elegit, verso, et sepultus est in Vaticano iusta viam triumphalem; et eodem die Paulum occidit gladio. Hic fuit Iudeus, Gamalielis discipulus, qui XIII scripsit epistolas, sed propter stillum de ultima dubitatur, et creditur esse Barnabe et Luce vel Clementis; et cum ad Paulum Seneca scripsisset epistolas. Paulus quoque scripsit ad eum. Est autem sepultus in via Hostiensis anno XXVII, ut quidam aiunt, post passionem Domini. Hii duo sunt, sicut ait Clemens, habuerunt uxores; nam Petrum, cum uxorem vidit duci ad passionem, gavisus ait: coniux, memento Domini. Paulus negat se suam circumducere, ut expedicius posset predicationi vacare.

VIII. De Galba et Ottone et Vitello et Vespasiano et aliis gestis.

Anno ab incarnatione Domini LXXII. post mortem Neronis Galba in Ybernia, Otto Rome, Vitellus in Germania, Vespasianus in Palestina electi sunt ad imperium. Nero namque contra Iudeos Vespasianum miserat; sed Galba VII mense capite truncatur, Otto levi prelio victus se ipsum occidit. Vitellus a ducibus Vespasiani occiditur. Huius temporibus fuit Linus papa.

Itaque Vespasianus, exercitum filio Tito commendans, Romam venit et confirmatus regnavit an. VIII, men. XI, di. XXII. Qui moderatissime rexit imperium. Erat enim iustus, largus, letus, paciens, inmemor offensarum. Ecclesia que Ierosolimis congregata fuerat, responso accepto, transivit ad castrum Pellam nomine trans Iordanem. Ablatis iustis viris Titus anno secundo imperii patris Iudeam et Ierusalem diebus aqimorum subvertit, diebus merito, quibus Dominum occiderunt, alii occiduntur gladio, alii fame, usque adeo, quod matres filios comederant. Alii vero igne combusti sunt, alii venundati, alii captivati, usque ad decies centena milia. Hic est igitur ille secundum prophetam *aper de silva*, qui devastavit eam. Fuerunt autem a prima edificatione templi, que fuit sub Salomone,[Page 591]

usque ad hanc ruinam an. III CII alii dicunt III LXXXIX; a secunda, que fuit sub Dario, DXC; a captivitate sub Antiquo CCXXXVIII; a passionee Domini XXXIX vel potius XL, super Ysaia legitur XLII. Hec prodictionem hec prodigia precesserunt, scilicet cometes, stella similis gladio et inmensus fulgor repentinus in templo et voces dicentes: Transmigremus hinc, et ianua ferreis vectibus munita sponte patefacta, currus et quadrigae, armatorum cohortes sacre, et vitula in sacrificiis agnam enixa, et prophetia cuiusdam rustici clamantis et nil aliud in ore habentis quam verba hec: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Ierusalem et templum, vox super sponsam et sponsum, ve Israelitis! et divisio civium, quia pars templum, pars tenuit arcem, pars reliquam civitatem. Unde Ysaia: *Vox populi de civitate, vox de templo*; post excidium Iudeorum ex diversis locis convenientes in unum apostoli ceterique discipuli, qui supererant, elegerunt Symonem Cleopha filium et Iacobum substituerunt. Temporibus Vespasiani Achaia, Lithia, Rodus, Bizancium, Samos, Trachia et multe alie regiones, quarum quedam libere, quedam sub regibus debebant amissibus regibus, sub Romano imperio rediguntur. Capitolium incenditur, quod edificare incepit.

X. De Vespasiano et de vindicta, quam fecit de Iudeis, et de pestilentia Iudeorum, fame et mortalitate eorum et aliis gestis, et de Iosepho.

Refert Iosephus, quod propter peccatum mortis Iacobi Iusti factum sit excidium Ierusalem et dispersio Iudeorum. Sed non solum ob mortem Iacobi, sed etiam ob mortem Domini precipue hec destructio facta est, secundum quod Dominus dicit: *Non relinquetur inde lapis super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis mee*. Sed quoniam Dominus non vult mortem peccatoris, et ut ipsi excusationem non haberent, per XL annos penitentiam eorum expectavit et per apostolos, maxime per Iacobum fratrem Domini inter eos continue predicantem, eos ad penitentiam revocabat. Sed cum per admonitionem eos non posset revocare, voluit eos saltim prodigiis exercere. Nam in his XL annis sibi ad penitentiam datis multa monstra et prodigia, sicut refert Iosephus, evenerunt. Nam stella prefulgens, gladio per omnia similis, visa est civitati desuper imminere ac per totum annum exticcialibus flammis ardere. In quodam festo azimorum hora noctis nona tantus fulgor aram templique circumdedit, ut omnes diem clarissimum putarent. In eadem festivitate vitula ad ymolandum adducta inter ministros manus agnam subito est enixa. Post aliquot dies prope solis occasum visi sunt curus et quadrigae in omni regione per aerem fieri et armatorum cohortes misceri nubibus et

urbes circumdare agminibus improvisis. In alio die festo, qui pentecoste appellatur, noctu sacerdotes in templum ingressi ad ministeria ex more complenda motus quosdam strepitusque senserunt ac voces subitas audierunt dicentes: Transeamus ab hiis sedibus; ante quartum etiam annum belli quidam vir nomine Iesus, Annanie filius, in festo tabernaculorum repente clamare cepit: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Ierusalem et super templum, vox super sponso et sponsas, vox super Ierusalem universum; predictus igitur vir capitur, ceditur, verberatur, sed ille aliud dicere nequiens, quanto plus verberatur, tanto eadem forcius clamitabat. Ad iudicem igitur adducitur, tormentis diris afficitur, usque ad putredinem ossium laniatur. Sed ille nec preces nec lacrimas effundebat, sed cum quodam ululato per singula pene verbera eadem proferebat, addens etiam hoc: Ve, ve Ierosolimis! Hec Iosephus. Cum autem Iudei nec admonitionibus converterentur nec tantis prodigiis terrerentur, post XL annum Dominus Vespasianum et Tytum Ierusalem adduxit, qui ipsam civitatem funditus destruxerunt. Hoc autem fuit causa adventus ipsorum in Ierusalem, sicut in quadam hystoria licet invenitur apocrypha. Videns, quia Iesum innocenter condemnauerat,[Page 592]

timens offensam Tyberii Cesaris, pro se excusando nuncium nomine Albanum ad Cesarem destinavit. Eo autem tempore Vespasianus monarchiam in Galacia a Tyberio Cesare tenebat. Nuncius igitur Pilati a ventis contrariis in Galaciam pellitur et ad Vespasianum adducitur. Talis autem servabatur ibi consuetudo, ut, quicumque ibidem naufragium pateretur, rebus et servitute principi subderetur. Quem Vespasianus quis esset aut unde veniret seu quo tenderet, requisivit. Cui ille: Ierosolimitanum sum, de partibus illis veni, Romam usque tendebam. Cui Vespasianus: De terra sapientum venis. Artem nosti medicaminis, medicus es, curare me debes. Vespasianus enim quoddam genus vermium naribus insitum ab infancia gerebat, unde a vespis Vespasianus dicebatur. Cui vir ille respondit: Artem medicaminis, domine, nescio et ideo te curare non valeo. Cui Vespasianus: Nisi me curaveris, morte morieris. Cui ille ait: Ille qui cecos illuminavit, demones effugavit, mortuos suscitavit, ille novit, quia medendi artem ignoro. Cui Vespasianus: Quis est iste, de quo tanta proferis? Et ille: Iesus Nazarenus, quem Iudei per invidiam occiderunt. In quem si credideris, sanitatis gratiam consequeris. Et Vespasianus: Credo, qui mortuos suscitavit, me etiam de hac infirmitate liberare poterit. Et hec dicente, vespe de eius naribus ceciderunt, et continuo sanitatem recepit. Tunc Vespasianus ingenti gaudio repletus fuit et ait: Certus sum, quia filius Dei fuit, qui me curare potuit. Petita igitur a Cesare licentia Ierosolimam cum manu armata pergam et omnes proditores huius sceleris et occisores funditus evertam. Dixitque Albano nuncio Pilati: Rebus et vita sanus et incolumis domum tuam mei licentia revertaris. Vespasianus igitur Romam adiit et destruendi Iudeam et Ierusalem a Tyberio licentiam impetravit. Per annos igitur plures exercitum congregavit et Ierusalem cum copioso exercitu Vespasianus advenit, et in die pasce Ierusalem per circuitum potenter obsedit, ibique infinitam multitudinem, que ad diem festum venerant, conduxit. Per aliquod autem tempus, antequam Vespasianus Ierusalem adveniret, fideles, qui ibi erant, a spiritu sancto admonentur, ut inde recedant et in quodam oppido trans Iordanem, quod Pella vocatur, secedant, ut ablatis ab urbe sanctis viris celesti vindictae fieret locus tam de urbe sacrilega quam de populo scelerato. Quandam autem civitatem Iudee nomine Ionaparam, in qua Iosephus princeps et dux erat, primo omnium est aggressus. Sed Iosephus cum suis viriliter resistebat. Tandem Iosephus videns inminere excidium civitatis, assumptis XI Iudeis sutteraneam domum intravit, ubi quatrigena fame afflicti Iudei vero consentiente Iosepho malebant ibidem mori quam Vespasiani se subicere servituti. Volebant se mutuo interficere et sanguinem suum in sacrificium Deo offerre. Et quoniam Iosephus inter eos erat dignior, volebant eum primitus occidere, ut eius effusione sanguinis Deus citius placaretur, vel, ut cronica dicitur, ideo mutuo se interficere volebant, ne darentur in manibus Romanorum. At vir prudens Iosephus et mori nolens iudicem mortis et sacrificii se constituit et, quis prior alio occisurus esset, inter binos et binos sortem mittere iussit. Missis itaque sortibus sors nunc unum, nunc alium morti tradidit, donec ventum est ad ultimum, cum quo Iosephus sortes missurus fuit. Tunc Iosephus, homo strenuus et agilis, gladium illi abstulit et, quid magis eligeret, vitam scilicet aut mortem, requisivit et, ut sine dilatione eligeret, precepit. Et ille timens respondit: Vivere non recuso, sed gratiam tui vitam conservare valeo. Tunc Iosephus uni familiari Vespasiani et sibi etiam familiari latenter locutus est et, ut sibi vita donaretur, petiit, et quod petiit impetravit. Cum autem ante Vespasianum Iosephus esset adductus, dixit ei Vespasianus: Mortem meruisses, si huius petitionibus liberatus non esses. Si quid propere actum est, in melius conmutari potest. Et Vespasianus: Qui vinctus est, quid facere potest? Et Iosephus: Aliquid facere potero, si dictis meis aures tuas demulsero. Et Vespasianus: Concedatur, ut verbis inhereas, et quicquid boni dicturus est, pacifice audiatur. Et Iosephus: Imperator interiiit, et senatus imperatorem te fecit. Et Vespasianus: Si propheta es, quare non es vaticinatus huic civitati, quod mee subiicienda sit ditioni? Et Iosephus: Per XL dies hoc eis predixi. Interrea legati Romanorum veniunt, Vespasianum in imperatorem sublimatum asserunt eumque Romam deducunt. Hoc quoque Eusebius in cronica testatur, quod scilicet Iosephus Vespasiano predixit tam de imperatoris morte quam de sua sublimatione. Reliquid autem Vespasianus Tytum filium suum in obsidione Ierusalem. Tytus autem, ut in eadem hystoria apocrypha legitur, audiens patrem suum in imperium sublimatum, tanto gaudio et exultatione repletur, quod nervorum contractione ex frigidityte corripitur et altero crure debilitatus paralytice torquetur. Iosephus autem audiens infirmitate laborare, causam morbi et morbum et tempus morbi diligenter[Page 593]

inquirat. Causa nescitur, morbus ignoratur. De tempore autem, quoniam audita patris electione hoc sibi acciderit, aperitur. Iosephus, vir autem sapiens et providus, ex paucis multa coniecit et ex tempore morbum et causam invenit, sciens, quod gaudio et leticia superhabundari et debilitatus fuit. Animavertens itaque, quoniam contraria contrariis curantur, sciens etiam, quia, quod amore conquiratur, dolore frequenter amittitur, querere cepit, an aliquis esset, qui principis inimicus obnoxius teneretur. Et erat ibi servus adeo molestus Tyto, ut si none vehementi conturbatione nullatenus in eum posset respicere nec etiam nomen eius audire. Dixit itaque Tyto: Si curari desideras, omnes, qui in meo comitatu venerint, salvos efficias. Cui Tytus: Quicumque in tuo comitatu venerit, securus habeatur et salvus. Tunc Iosephus cito prandium fieri precepit et mensam suam mense Tyti oppositam

locavit et servum a dextris suis sedere fecit. Quem Tytus respiciens, molestia conturbatus infremuit, et qui prius gaudio infrigidatus fuerat, accessione furoris incaluit, nervosque distendens curatus fuit. Post hec Tytus et servum in sui gratiam et Iosephum in sui amicitiam recepit. Biennio igitur a Tyto Ierusalem obsessa, inter cetera mala, que obsessos graviter perurgebant, tanta fames omnes tenuit, quod parentes filiis et filii et parentibus, viri uxoribus et uxores viris cibos non tantum e manibus, sed etiam ex ipsis dentibus rapiebant. Iuvenes etiam etate fortiores velud simulacra per vias oberrando pre fame exanimis cadebant. Qui mortuos sepelliebant, sepe super ipsos mortuos mortui cadebant. Fetorem autem cadaverum non ferentes ex publico sumptu ipsa sepelliebant, sed deficiente sumptu et vincente cadaverum multitudine de muro cadavera precipitabant. At Tytus circuiens, cum vidisset valles cadaveribus repletas et totam patriam ex eorum fetore corruptam, manus suas cum lacrimis ad celum levavit: Deus, tu vides, quia ego hic non facio. Tanta ibi fames erat, quia calciamenta sua et corrigias comedebant. Matrona etiam super quedam genere et divitiis nobilis, sicut legitur in Ystoria ecclesiastica, vel predones in eius domum intrantes eam omnibus expoliassent, nec sibi ultra quid comederet remansisset, parvulum suum lactantem tenens in manibus ait: Infelicis matris infelicior filii, in bello, in fame, in direptione cui te reservabo? Veni ergo nunc, o mi nate, esto matri cibus, predonibus furor, seculis fabula. Et his dictis filium iugulavit et coxit et dimidium comedens, partem alteram ocultavit. Et ecce confestim predones odorem carnis cocte sentientes in domum irruunt et, nisi carnes prodant, mortem minantur. Tunc illa detegens infantis menbra: Ecce, inquit, vobis partem optimam reservavi. At illa tantus horror invasit, quod nec loqui potuerunt. Et illa: Meus est, inquit, hic filius, meum est peccatum; securi edicte, quia prior ego comedi que genui. Nolite fieri aut matre religiosiores aut feminis molliores; quodsi vincit vos pietas, et horretis, ego totum comedam, que dimidium iam comedi. Illi vero tremantes et terrii discesserunt. Tandem secundo anno imperii Vespasiani Tytus Ierusalem cepit et captam subvertit, templumque funditus destruxit. Et sicut Iudei Christum XXX denariis emerant, sic et ipse uno denario XXX Iudeos vendidit. Sicut autem narrat Iosephus, nonagita VII milia Iudeorum venditi sunt, et undecies centena milia fame et gladio perierunt. Legitur quoque, quod Tytus intrans Ierusalem quandam murum densissimum vidit ipsumque perforari precepit. Factoque foramine quandam intus senem, aspectu et canicie venerabilem, invenerunt. Qui requisitus, quis esset, respondit se esse Ioseph ab Arimathia Iudea civitate seque a Iudeis ibidem inclusum et muratum fuisse, eo quod Christum sepelisset. Addiditque, quod ab illo tempore usque nunc celesti sit cibo pastus et divino lumine confortatus. In euuangelio tamen Nichodemi dicitur, quod, cum Iudei ipsum reclusissent, Christus resurgens eum inde eripuit et in Arimathiam duxit. Potest dici, quia, cum eductus a predicatione Christi non cessaret, a Iudeis iterum est in clusus. Mortuo quoque Vespasiano imperatore Tytus filius eius eidem imperio successit. Qui fuit vir clementissimus et multe liberalitatis. Tanteque bonitatis fuit, sicut ait Eusebius Cesariensis in cronica, testatur Ieronimus, quod, dum quodam sero recordatus fuisset, quod illo die nil boni egisset aut nichil dedisset, ait exeuntes summo mane plurimas cruces de rore invenerunt. Quas terrii fugientes et secundo mane redeuntes, unusquisque cruces sanguineas vestibis suis insitas invenit. Qui vehementer terrii in fugam iterum reversi sunt. Sed tercio reversi vapore ignis de terra prodeuntis penitus sunt exusti.[Page 594]

XI. De origine Iosephi et nativitate, et cuius filius fuit, et de compositione librorum, quos fecit.

Opere precium sane est post ista noscere, quis fuerit hic Iosephus et unde vel ex quo genere originem ducens, qui tantam nobis materiam rerum gestarum cognitionemque prestiterit. Expone ergo etiam hec ipse de se hoc modo scribens: *Iosepphus Mathie filius, Ierosolimis sacerdos, qui et ipso primo bello Romanos obpugnaverit et posterioribus nichilominus interfuerim preliis neccessitate constrictus*. Constat igitur hunc virum per idem tempus non solum apud Iudeos, proprios cives, verum etiam apud Romanos habitum esse nobilissimum, ita ut litterarum merito in urbe Roma etiam statua donaretur, et libri eius bibliotece traderentur. Conscripsit itaque Antiquitatum ystoriam in XX libris. Belli vero Iudaicie cum Romanis ystoriam septem voluminibus comprehendit, quam non solum Greca facundia, verum etiam et patrio, id est Hebreo, sermone suis etiam civibus se edidisse confirmat, dignus, cui pre ceteris omnibus debeat credi. Sed et alia eiusdem viri extant de Iudeorum vetustate duo volumina, in quibus contradicere Appiani cuidam gramatico videtur, qui illis temporibus adversum Iudeos scripserat, et ad alios quosdam, qui morem gentis Iudeorum atque instituta laceraverant. In primo ergo ex his libris duobus, que volumina apud Hebreos in autoritate habeantur, secundum maiorum traditionem per hec docet:

XII. Prologus de libris, quos Iosephus composuit.

Neque igitur innumera, inquit, *apud nos habentur volumina intra se invicem discordia, sed* duo tantum et XX sunt libri, qui omnium temporum seriem continent, qui et iuste creduntur divinitus inspirati. Ec quibus quinque sunt Mosey, continentes legem vite et successionem humanam prosapiam usque ad ipsius Mosey terminum pretendentes, qui paulo minus a tria milia annorum continenciam gerunt. A morte vero Mosey usque ad Artasensen, qui regnavit apud Persas, que gesta sunt prophete quinque per ea tempora tredecim voluminibus conscripserunt. Reliqui vero quatuor libri hymnos in Deum et vite et instituta ac monita mortalibus tradunt. Ab Artaxensem vero usque ad nostrum tempus scri[pta] quidem omnia fidem, tamen non eadem, que primis habetur; digna ducuntur, pro eo quod non ita extiterit prophetarum iugis et expiata successio. Rebus ergo ipsis constat, quam nos venerabiliter utamur in scripturis nostris. Nam cum tot secula intercesserunt, neque addere quis umquam neque auferre aut permutare quid ausus est; sed omnibus gentis nostre hominibus insita hec quodammodo atque ingenita fides est credere hec Dei esse consulta et his iugiter inherere ac pro ipsis, si ita *res poposcerit, libenter et animam ponere*. Sit etiam hec pars hystoriographi his in locis a nobis, ut arbitror, non incompetenter inserta. Est adhuc eius aliud eligens satis volumen, quod animus sit, qui imperium teneat in nobis. Quem libellum quidam Machabeorum attitulaverant, pro eo quod certamina inibi et agones pro pietate a Machabeis fratribus desudata contineat. Sed et in fine vicissimi Antiquitatum libri significat idem ipse proposuisse quatuor voluminibus comprehensurum secundum

fidem et religionem patriam de Deo et de substantia eius ac legibus, et cur quedam apud eos luceant, quedam non luceant. Sed et alia nonnulla opuscula a se dicit esse composita. In fine etiam supradicti vicessimia Antiquitatum libri lustum quandam ex Tyberiadem, qui conatus sit hoc idem operis, quod ipse explicuerat, adgredi, arguit falsitatis per hec verba: *Sed non ego te imitatus in his que conscripseram.* Ipsi etenim imperatoribus optuli libros meos, cum adhuc ipsa que gesta sunt pene in oculis haberentur, quippe qui conscius michi essem servate in omnibus veritatis, nec me de eorum testimonio fefellit opinio. Sed et aliis pluribus optuli, quorum multi etiam ipsis interfuere bellis, sicut Agrippa rex et nonnulli eius propinqui; imperator quidem Tytus in tantum probavit ex istis debere libris ad omnes homines rerum gestarum noticiam pervenire, ut manu subscriberet publice ab omnibus eos legi debet. *Rex vero Agrippa LX et duabus epistolis de operis nostri veritate testatus est, ex quibus et duas inserui.* Sed de hiis satis dicam, nunc ad narrationis nostre seriem redeamus.[Page 595]

XIII. Hystoria de patre et matre Pylati et eius nativitate et de gestis, que fecit suo tempore, et se ipsum interfecit.

Fuit quidam rex nomine Tyrus, qui quandam puellam nomine Pilam, filiam cuiusdam molendinarii nomine Attus, carnaliter cognovit et de ea filium generavit. Pila autem ex nomine suo et nomine patris sui, qui dicebatur Atus, unum nomen composuit et nato puero inposuit nomen Pilatus. Cum autem Pilatus tres annos haberet, ipsum Pila a rege ad regem transmisit. Habebat autem rex filium de regina coniuge sua, qui fere Pilato coetaneus videbatur. Isti dum annos discretionis attigissent, sepius luctamine pugno et funda ad invicem colludebant. Sed et regis filius legitimus, ut genere erat nobilior, sic in omni loco Pilato inveniebatur strenuor et in omni genere certaminis aptior. Ob hoc Pilatus invidie livore conmotus et felle doloris stimulatus fratrem suum latenter occidit. Quod rex audiens vehementer doluit, et contione convocato, quid de scelerato et homicida faciendum sit filio, requisivit. Qui omnes reum esse mortis unanimiter acclamarunt. Rex autem ad se reversus iniquitatem iniquitate noluit duplicare, sed ipsum pro tributo, quod annuatim debebat, Romanis in obsidem misit, tum volens innoxius esse ab occisione filii, tum a tributo Romano cupiens liberari. Tunc temporis erat Rome filius regis Francorum, quem similiter Romam miserat pro tributis. Huic Pilatus associatur, cum se ab eo moribus et industria precelli videret, eum ad se stimulis agitatus occidit. Sed cum Romani, quid de eo faciendum esset, inquirerent, dixerunt: Hic si supervixerit, qui fratrem necavit, obsidem iugulavit, rei publice plurimum utilis erit et colla ferocium hostium ferox ipse domabit. Dixerunt ergo: Cum reus mortis habeatur, in Ponthos insulam gentibus illis, que nullum paciuntur iudicem, iudex preficiatur, si forte eius nequicia ipsorum contumacia, sed non, quod meruit paciatur. Missus igitur Pilatus ad gentem ferocem et suorum iudicum peremtricem, non inscius, ad quos missus sit, et quam patibula vite sue sententia, tacite rem considerans, vitam servare voluit, et gentem nequam ipse minis et promissis, supplicio et precio penitus subiugavit. Quia igitur tam dure gentis victor extitit, a Ponthos insula Poncius Pilatus nomen accepit. Herodes autem hominis illius ut audivit industriam, eius versutiis congaudens ipse versutus, eum ad se muneribus et internunciis invitavit et super ludeam et Ierosalem potestatem et vicem suam tradidit. Qui cum pecuniam innumerabilem congregasset, nesciente Herode Romam adiit, infinitam pecuniam Tyberio imperatori obtulit et ab eo sibi dari quod ab Herode tenebat muneribus impetravit. Huiusmodi causa facti sunt inimici Pilatus et Herodes, quo ad usque tempore passionis Domini eum sibi reconciliavit, eo quod Dominum ad se misit. Alia causa inimicitie assignatur in hystoriis. Quidam enim se filium Dei faciens multos de Galileis seduxerat; quos cum in Garizim duxisset, ubi dixerat se adscensurum in celum, superveniens Pilatus ipsum cum omnibus occidit, timens, ne similiter Iudeos seduceret. Ob hoc facti sunt inimici, quia Herodes prescidebat Galileis; utraque causa potuit esse vera. Cum autem Pilatus Dominum Iudeis crucifigendum tradidisset, timens tamen offensam Tyberii Cesaris, eo quod condemnasset sanguinem innocentem, quandam sibi familiarem pro sui excusatione ad Cesarem destinavit. Interrea cum Tyberius morbo lepre teneretur, nuntiatur eidem, quod Ierosolimis medicus quidam esset, qui omnes morbos solo verbo curaret, nesciens, quod eum Iudei et Pilatus occidissent. Dixit itaque Volusiano sibi privato: Vade citius trans partes marinas, dicesque Pilato, ut hunc medicum michi mittat, qui me pristinae sanitati restituat. Cum autem ille ad Pilatum venisset et mandatum imperatoris exposuisset eidem, teritus Pilatus XIII dies inducias postulavit. Infra quod spacium dum Volusianus quandam matronam, que familiaris fuerat Iesu, nomine Veronica, ubinam Christus Iesus inveniri posset, interrogasset ait: Heu! dominus meus et deus meus erat, quem Pilatus per invidiam condemnavit et crucifigi precepit. Tunc ille nimis dolens ait: Vehementer doleo, quia quod michi dominus meus iusserat explere non valeo. Cui Veronica: Dominus meus cum predicando ciraret, et ego eius presentia nimis invite carerem, volui michi depingi ymaginem, ut, dum eius privarer presentia, salutem michi prestaret in solatium ymaginis sue figura. Cumque[Page 596]

linteum pictori detraherem pingendum, dominus meus michi obviavit et, quo tenderem, requisivit. Cui cum vie causam apperuissem, a me petiit pannum et ipsum michi venerabili sua facie reddidit insignitum. Ymaginis ergo huius aspectum si dominus tuus devote intuebitur, continuo sanitatis beneficio pocietur. Cui ille: Estne huiusmodi ymago auro vel argento comparabilis? Cui illa: Non, sed pio affectu devotionis. Tecum igitur proficiscar et videndam Cesari ymaginem deferam et revertar. Venit ergo Volusianus cum Veronica Romam. Dixitque Tyberio imperatori: Iesum a te diu desideratum Pilatus et Iudei iniuste morti tradiderunt et per invidiam cruci patibulo affixerunt. Venit mecum matrona quedam ipsius Iesu ymaginem deferens, quam si devote prospexeris, mox sanitatis tue beneficium obtinebis. Cesar igitur pannis sericis viam sterni fecit et ymaginem sibi presentari precepit. Qui mox, ut eam fuit intuitus, sanitatem est pristinam assecutus. Poncius igitur Pilatus imperio Cesaris capitur, Romam perducitur. Audiens Cesar Pilatum Romam advenisse, nimio contra eum furore repletus, eum ad se adduci fecit. Pilatus autem tunicam Domini inconsutilem detulit, quam indutam coram imperatore portavit. Mox ut imperator eum vidit, omnem iram deposuit et ei protinus assurrexit nec sibi in aliquo loqui prevaluit. Et qui in eius absentia videbatur tam terribilis et severus, nunc in eius presentia invenitur quodammodo mansuetus. Cum eum licentiasset, mox contra eum terribiliter exardescit, se miserum clamitans, quod ei furorem sui pectoris minime ostendisset.

Statimque reum revocari fecit, iurans et contestans, quod filius mortis est, nec fas sit eum vivere super terram. Qui ut eum vidit, continuo eum salutavit et omnem animi ferocitatem abiecit. Mirantur omnes, mirabatur et ipse, quod sic contra Pilatum, dum abesset, excandesceret, et dum presens esset, nil ei asperere loqui posset. Tandem divino nutu vel forte alicuius Christiani suasu ipsum illa tunica expoliari fecit et continuo eum pristinam ferocitatem animi mox resumpsit. Cumque de hoc plurimum admiraretur, dictum est sibi, quod illa tunica fuisset domini Iesu. Tunc imperator ipsum in carcerem recipi iussit, donec ad sapientum consilio deliberaret, quid de eo fieri oporteret. Data est igitur sententia in Pilatum, ut morte turpissima dampnaretur. Audiens hoc Pilatus cultello proprio se necavit et tali morte vitam finivit. Cognita Cesar morte Pilati dixit: Vere mortuus est morte turpissima, cui manus propria non pepercit. Mole igitur ingenti alligatur et in Tyberim fluvium inmergitur. Spiritus vero maligni et sordidi corpori maligno et sordido congaudentes et nunc in aquis mare raptantes mirabiles inundationes in aquis movebant et fulgura et tempestates, tonitrua, grandines in aere terribiliter generabant, ita ut cuncti timore horribili tenerentur. Quapropter Romani ipsum a Tyberi fluvio extrahentes derisionis causa ipsum Vigenna deportaverunt et Rodano fluvio inmerserunt. Vigenna enim dicitur quasi via gehenne, quia locus maledictionis. Sed ibi nequam spiritus affuerunt, ibidem eadem operantes. Homines ergo illi tantam infestationem demonum non ferentes vas illud maledictionis a se removerunt et illud sepeliendum Losannie civitati territorio commiserunt. Qui cum nimis infestationibus gravarentur, ipsum a se removerunt et in quodam puteo montibus circumscepto inmerserunt, ubi adhuc relatione quorundam quedam diabolice machinationes ebullire videntur. Nota cum, quia in Hystoriis scolasticis legitur, quod Pilatus a Iudeis accusatus est apud Tyberium de violenta innocentum interfectione, et quia Iudeis reclamantibus ymages gentilium in templo ponebat, et quia peccuniam repositam in corbonam in suos redigeret usus, inde faciens aqueductum in domum suam, et pro hiis omnibus deportatus est in exilium Lugdunum, unde oriundus fuerat, ut ibi in obprobrium gentis sue moreretur. Potuit esse, quia primo iam edictum declarata, ut Lugdunum in exilium deportaretur, et ante reversionem Volusiani ad imperatorem ibi fuerit deportatus, postmodum Tyberius audiens, qualiter Christum occidisset, ipsum de exilio educi et ad se Romam adduci fecit. Eusebius autem et Beda in suis cronicis non dicunt ipsum in exilio relegatum, sed tantum, quod in multas calamitates incidens propria se manu peremit.

XIII. De Tito, Vespasiani filio, imperatore.

Anno ab incarnatione Domini LXXXII. Titus Vespasiani filius regnavit apud Romanos an. II et men. II. Qui fuit Greca et Latina lingua disertissimus, facundus, pius, largus, dicens nullum debere tristem ab imperatore discedere; unde cum quadam die recordatus fuisset in cena se nil illo die cuiquam prestitisse, ait: Amici, hunc diem perdi. Huius temporibus Cletus, et quem Petrus presbyterum fecit, successit post Petrum papam.[Page 597]

XV. De Domiciano imperatore, filio Vespasiani.

Anno Domini ab incarnatione LXXXIII. Domicianus filius Vespasiani et frater Titi iunior regnavit apud Romanos an. XV. Hic superbissimus fuit, ut se deum et dominum iussit appellari et aureas et argenteas statuas in Capitolio sibi erigi, mensem Octubrem Domicianum suo nomine dici, augustum vocari; verumtamen Rome multa opera fecit: Capitolium, forum, porticus divorum, Ysium et Serapium, horrea piperatoria et Pantheon et Stadium et multa alia; de Dacis et Germanis triumphavit; eunuchos fieri prohibuit; phylosophos et mathematicos de Urbe eiecit. Christianos persecutus est et Iohannem apostolum in ferventis olei dolio posuit, et cum inde illesus exisset, in Pathmos insula delegavit, ubi Apochalipsim scripsit. Eodem tempore Domiciani Iosephus a Vespasiano captus Romam venit et multa conscripsit, presertim XXIII Antiquitatum libros ab exordio mundi usque ad XIII. annum huius Domiciani, unde statue Rome donatus est. Et eodem tempore Quintilianus Romam scolam habuit, salarium de fisco primum accepit. Eodem tempore omne genus et regnum Hebreorum et precipue regis David omnino deletum fuit a Domiciano imperatore, exceptis quibusdam, qui dicebant non deberi sibi terrenum imperium, sed celeste; quos ad vilitatem eorum liberos abire permisit; demum, cum multos nobiles de senatu occidisset, suorum coniuratione occisus est.

XVI. De Nerva imperatore.

Anno ab incarnatione Domini XCVIII. Nerva apud Romanos regnavit an. I et men.

III. Vir fuit strenuus et modestus, qui missos in exilium per Domicianum solvit. Idem creditur de Iohanne apostolo, qui reversus est Ephesim; ista est metropolis Asiana. Audi fabulam non de Iohanne, sed rem gestam: cuidam episcopo quendam iuvenem commisit; episcopus abusus est eo, iuvenis princeps latronum effectus est; cum repeteret eum Iohannes, ait episcopus: Domino mortuus est; cui Iohannes: Bonum te custodem fratris anime dereliqui; demum per Iohannem ad penitentiam revocatus est.

XVII. De Traiano imperatore.

Anno ab incarnatione Domini C. Traianus regnavit apud Romanos an. XIX et men. VI, di. XV. Hic fuit tante civilitatis et fortitudinis, ut omnibus precedentibus principibus merito preferatur. Nam cum alii post Augustum imperium defendissent, iste nobiliter ampliavit. Nam Asia et Babilonia capta usque ad Indie fines accessit. De Dacis et Sythis triumphavit; Hymbrios, Sauromatas, Arabas et Bosforanos in fidem accepit. In mari Rubro classem instituit, ut fines Indie subiugaret; Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam subiugavit et provincias fecit. Nil elegit iniustum ad augendum fiscum. Sed persecutor fuit Christianorum. Nam cum Plinius cuiusdam provincie procurator eum consulisset, si Christianos occideret, cum nil mali in eis reperiret preter obstinationem non sacrificandi et antelucanos cetos ad canendum cuidam Christo ut deo, respondit, quod nullus Christianus inquireretur; si quis tamen incideret, puniretur, puniri oporteret. Demum Traianus apud Seleuciam Ysaurie, ut dicitur, mortuus est; cuius ossa in urna aurea in foro delata super columpnas sunt; solus omnium intra Urbem in foro sepultus est; in his diebus Anacletus papa Rome sedit; post eum successit Euaristus papa Rome. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt tempore Traiani, recurre ad cronicas Anacleti pape primi et Euaristi pape primi, et omnia invenies].

XVIII. De Adriano imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CXX. Adrianus regnavit apud Romanos an. XXI. Hic cognominatus est Helyus; facundissimus fuit et diligentissimus circa errarium et militum disciplinam. In utraque lingua peritus, pater patrie dictus, tributa Urbis relaxavit. Alexandriam a Romanis subversam publicis instauravit expensis et ad instaurationem civitatum Nichomedie, que in terremotu corruerant, de publico dedit expensas. Atheniensibus sibi petentibus de libri Draconis et Scolonis iura composuit. Sed contra Sarmatas bellum gessit; Iudeos secundo Romano imperio debellantes anno secundo imperii sui cepit. Sixtus papa Rome sedit, Syxto successit Thelosforus. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt tempore Elio Adriani, recure ad cronicam Alexandri pape primi, et omnia invenies. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, ad cronicam Sixti pape primi].

XIX. De Tito Antonio imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CXLII. Titus Antoninus regnavit apud Romanos an. XXII et men. III; qui Pius propter clementiam dictus est, pater patrie, quia accusationibus incensis debita relaxavit; erarium opulentum servavit, regibus amicis non minus venerabilis. Eodem tempore Galienus medicus claruit, qui Pergami natus claruit. Eodem tempore sedit Rome Yginus papa. Post eum successit Annicius. Post eum successit Pius in episcopatu. His temporibus Ygini pape Valentinianus et Cerdo et Marcion heretici Romam venerunt. Valentinianus dicebat duo esse principia, profundum et silentium, et ex his XXX secula. Cerdo et Marcion duo principia, bonum et malum; ambo resurrectionem carnis negabant, anime tantum salutem promittebant. In Alexandria vero Basilides suam doctrinam evomuit, dicens CCCLXV celos secundum numerum dierum anni. Hoc autem nomen Abrasas commendabat, quia numerum istum contineat; cuius discipulos se Gnosticos nominabat ad presumptionem excellentioris scientie, sed ab aliis dicebantur Bothornite, id est cenosi, a turpitudine, quam in misteriis exercebant; contra que scripsit doctus Agrippa. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recure ad cronicam].

XX. De Marco Antonio Vero cum fratre Lucio Aurelio et Comodo imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CLXV Marcus Antonius Verus cum fratre Lucio Aurelio Comodo regnavit apud Romanos an. XVIII, men. I. Usque ad hoc tempus singulares fuerunt augusti, hic primum bini. Hii Seuluciam ceperunt, de Parthis triumphaverunt; contra Germanos et Sarmatas, Marcomanos, Squados, Dacos, Vandallos, Suevos, Pannonios dimicarunt; et cum sui exercitus exstualet, quibusdam militibus Christianis, qui sub eo militabant, orantibus contra spem largissimus imber effusus est in exercitu, sed in hostes fulgur et ignis. Marcus defuncto fratre filium suum Comodum factus regni consortem fecit et multis multa largitus est, ita quod erarium exhaustit; pecuniam, que fisco debebatur, tabulis incensis remisit; et ne quid bonitati deesset, seniores leges novis constitutionibus temperavit; adeo magnificus fuit, ut C simul leones exhibuerit. Cumque Simirna civitas Asie corruerit terremotu, per decennium ad ipsius instaurationem tributa transit octavo anno[Page 599]

Marcii Antonii. Sother Rome fit papa. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recure ad cronicam Ygni pape primi, et omnia invenies].

XXI. De Comodo, Marci filio, imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CLXXXIII. Commodus Marci filius regnavit apud Romanos an. XIII; nichil paternum habuit, nisi quod contra Germanos dimicavit. Septembrem a suo nomine Commodus nominari voluit; terminas Rome fecit; uxoris poculo est occisus; adeo nequam fuit, quod etiam mortuus humani generis diceretur inimicus, quia multos nobiles interfecit. Victor Eleuthero in apostolica sede successit. Hisque temporibus fuerunt Catafrige, a Frigia dicti heretici, qui secundas nuptias condempnabant; quorum auctor fuit Montanus, qui se Paraclitum nominabat, habens secum duas mulieres, Priscam et Maximillam, insani spiritus, que se prophetissas esse iactabant. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicas Pii pape primi et Sother pape I].

XXII. De Helio Pertinace imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CXCVII. Helius Pertinax regnavit apud Romanos men. VI. Hic septuagenario ator, cum prefecturam Urbis ageret, ex senatus consulto imperare iusus est, et quia pertinaciter resistebat, Pertinax dictus est; quem cum senatus rogaret, quod uxorem suam vocaret augustam, respondit, quod sufficeret, quod regnaret invitus. Pertinax scelere Iuliani occiditur.

XXIII. De Iuliano imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CXCVII. Iulianus apud Romanos regnavit men. VII, quem apud pontem Milvium Severus occidit; post dictum Helium Pertinacem fuit.

XXIII. De Severo imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CXCVIII. Severus regnavit apud Romanos an. XVII. Hic fuit ex Affrica oriundus, phylosopus civilibus studiis clarus, sed parvus; multa bella feliciter gessit. Nam Parthos, Arabas, Britanos superavit, et quendam Claudium Albinum, qui fuerat in morte Pertinacis et se cesarem in Gallia fecit, apud Lugdunum occidit; ut receptas provincias vallum fecit a mari ad mare per CXXII milia passuum; terminas Rome fecit; Christianos persecutus est; demum Eboraci moritur in Britania.

XXV. De Antonino, Severi filio, imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CCXVII. Antoninus Severi filius, proprio nomine Bassanus, regnavit apud Romanos an. VII, men. VI, dictus cognomento Caracalla a genere vestis, qua utebatur. Et eius nomine vocata est; terminas Rome fecit, que dicte sunt Antoniane. Inpaciens libidini fuit usque adeo, quod novercam duxit uxorem; nichil memoriale preter que diximus fecit. Huius temporibus fuit, Çefirinus papa, cui successit Calixtus papa. Et Antonii Severi filii huius quinta edictio inventa est Ierosolimis, cuius auctor non apparuit. Amonius Alexandrinus canones evangeliorum

habebat CXVI an., cum eo pariter ecclesiam rexit. Sed Tertulianus sanctam repugnavit ecclesiam; et persecutio magna fuit Christianorum [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicas, Çefirini pape I. et Calixti pape I].

XXVI. De Macrino imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CCXXIII. quidam imperator nomine Macrinus regnavit apud Romanos an. I, men. II, nichil dignum memoria fecit.

XXVII. De Marco Aurelio Antonio imperatore.

Anno ab incarnatione Domini CCXXIII. Marcus Aurelius Antonii regnavit apud Romanos an. IIII. Hic extitit inpudicus, quod nullum genus obscenitatis obmisit.

XXVIII. De Alexandro Aurelio imperatore.

Anno Domini CCXXVIII. Alexander Aurelius regnavit apud Romanos an. XIII. Hic Xersem regem Persarum vicit et discipline militaris tam severus corrector fuit, ut quasdam legiones tumultuantes exauctoraverit. Ulpianum, Paulum, Papinianum iuris peritis assessores habuit; terras edificavit; eunuchos reprobat, dicens esse tertium genus hominum nec videndum nec in usu habendum. Et demum apud Magunciam decollatus est. Eodem tempore Rome sedit Urbanus papa. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam Urbani pape I].

XXIX. De Maximo imperatore.

Anno Domini CCXLI. Maximus regnavit apud Romanos an. III. Hic ex corpore militari primus et ab exercitu sine senatus auctoritate imperator electus est; qui fuit persecutor ecclesiarum; sub quo Pontianus Romanus pontifex in Sardiniam deportatus martyrio coronatur Not. Maximum imperatorem militem fuisse cohortis, qui per seditionem militum factus est imperator. Hic a Pompeio occiditur, qui et ipse regnum usurpans occiditur. Pontiano successit Anterius papa. Tempore Pontiani pape et Maximi Berillus hereticus ecclesiam inpugnavit.

Sabellus hereticus disposuit, cuius discipuli Sabelliani et Patripassiani dicti sunt, quia identitatem et trinitatem dogmaticantes patri etiam passionem ascribebant.

XXX. De Gordiano imperatore.

Anno Domini CCXLIII. Gordianus regnavit apud Romanos an. VIII, quo Romam ingresso Parpienum et Albinum, qui imperium arripuerant, interfecit. Hic Parthos, Persas et Medos superavit. Fraude Phylipi occisus est. Not., quod tempore Gordiani imperatoris spiritus sanctus venit in specie columbe super eum.

Post Gordianum Phylipus cum filio suo, qui imperavit an. XII. Hic Phylipus

Christianus per Originem efficitur; ambos Decius occidit. Et eodem tempore Rome[Page 601]

sedit Fabianus papa qui per columbam spiritus sancti electus est; qui statuit singulis annis crisma renovari et vetus conburi. Con. d. III: *Inter cetera*; martyrio coronatur. Eodem tempore supervenit Novatus ex Affrica et separavit de ecclesia Novatianum et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses XI, et sic multi fugerunt. His temporibus fuerunt heretici dicentes animas cum corporibus interire simul et cum corporibus iterum suscitandas. Item et alii nomine Elchesece, qui licet de novo et veteri Testamento quibus voluerat testimoniis uterentur, tamen multa refutabant, ut apostolum, et dicebant se habere librum de celo lapsum, et tempore imperatoris Phylipi.

XXXI. De Phylipo imperatore.

Anno Domini CCL. Phylipus apud Romanos regnavit an. XII. Qui filium suum sibi equivocum regni consortem effecit et urbem sui nominis in Trachia constituit et primum omnium de Romanis imperatoribus in Christum credidit et, ut dicitur, Christianus effectus est; cui, cum vellet in paschali sollempnitate communicare, rogavit episcopus, donec peccata confessus esset, staret inter penitentes; quod pacienter fecit. Hic thesaurus beato Syxto donavit. Phylipus adeo severus fuit, et a Decio ambo occisi sunt. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam beati Syxti pape I, et invenies in margine, et incipit: *Quicumque voluerit predicare passiones sanctorum Abdon et Senem et sancti Syxti, Laurencii et cet.*]

XXXII. De Decio imperatore.

Anno Domini CCLVII. Decius apud Romanos regnavit an. I, men. III. Hic de Pannonia natus fuit, civile bellum oppressit. Filium cesarem fecit; et cum Phylipos, patrem et filium, occidisset, in odium eorum Christianos persecutus est et beatos Laurentium et Ypolitum interfecit.

Decius a diabolo et ab hostibus occiditur. [Et si vis aliud invenire, quas fecit Decius et fuerunt eo tempore, recurre ad cronicas Cornelii pape I, et in margine invenies de septem dormientibus].

XXXIII. De Gallo cum filio suo Volusiano.

Anno ab incarnatione Domini CCLVIII. Gallus cum filio suo Volusiano regnavit apud Romanos an. II, men. IIII. His temporibus fuit pestis, que pene genus humanum extinxit; ab Eiula occiditur. His temporibus fuit Novatus Romanus presbyter hereticus extitit, a quo Noviciani dicti sunt, sed se ipsos non Novicianos, Catharis appellabant, id est mundos, propter mundiciam, quam sibi negabant; secundas nuptias non admittebant, reconciliationem penitentibus denegabant. Huius tempore Lucius papa Rome sedit.

XXXIII. De Emiliano imperatore.

Anno Domini CCLVIII. Emilianus, natione Maurus, regnavit apud Romanos men. II, tercio namque mense luit penam tyrannidis occupate.[Page 602]

XXXV. De Valeriano et Galieno.

Anno Domini CCLVIII. Valerianus et Galienus Valeriani filius regnaverunt apud Romanos

an. XV. Valerianus in Retia electus est ab exercitu, Galienus Rome a senatu. Valerianus persecutus est Christianos, sed non diu, quia, dum bellum gereret in Mesopotamia, captus est a Sopore rege Persarum et apud Parthos ignobili servitute consenuit. Nam Sopor equum ascensurus pedem eius cervicibus imponebat. Galienus vero prius feliciter, demum perniciose gessit imperium. Nam eo in omnem lasciviam dissoluto Germani venerunt usque ad Ravennam, Alamanni vastatis Galliis transierunt Ytaliam, Datia perditur, Grecia, Macedonia, Pontus et Asia per Gothos depopulantur, Pannonias occupatur, Parthi Mesopotamiam et Asyariam, Germani optinuerunt Yspanias ceperuntque et Cetonem civitatem. Horum igitur imperium Romano fuit nomini perniciosum illorum ignavia seu infelicitate. Galie demum per Postumum, qui in Gallia purpuram accepit, recepti sunt Demum Galienus Mediolani moritur. Dionisius papa parochias divisit et in singulis propter penitentes singulos instituit sacerdotes; et post eum Felix papa. Sub hoc Galieno VII tyranni regnaverunt Primus Genuus apud Mirsam, secundus Postumus X annis in Gallia regnans occiditur. Tercius Emilianus Magoncie occiditur. Quartus Marius ibidem interficitur. Quintus Victorinus Gallis creatur et occiditur. Sextus Tericus a militibus occiditur. Septimus Maurus in Syria ab uxore occiditur. [Et si vis invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore Galieni et Valeriani, require cronicam Dionisii pape, et invenies].

XXXVI. De Claudio imperatore.

Anno Domini CCLXXIII. Claudius regnavit apud Romanos an. I, men. VIII. Hic parvus fuit, inmodestus, iustus et regende rei publice ydoneus. Qui Gothos Yliricum et Macedoniam vastantes prelio vicit, Alamannos apud lacum Benacum superavit; ob que clipeus aureus et aurea statua fuit ei in Capitolio collocata, et post mortem divus appellatus est. Eodem tempore Dionisii pape, Claudii et Valeriani et Galieni eius filii fuit Paulus Samosactenus hereticus extitit, qui Christum solum hominem confitebatur; et Mamos, a quo Manichei, qui fuit de Perside, qui nunc dicebat se Christum, nunc Paraclitum, et fecit XII discipulos ad instar Christi. Et predictus Claudius morbo obiit. Post fuit Quintilius frater Claudii, imperator eligitur. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore Claudii, recurre ad cronica Euticiani pape I, et invenies].

XXXVII. De Quintilio fratre Claudii.

Anno Domini CCLXXVI. Quintilius frater Claudii a senatu imperator eligitur, sed XVI. die sui imperii apud Aquilegiam occiditur.

XXXVIII. De Aureliano imperatore.

Anno Domini CCLXXVI. Aurelianus regnavit apud Romanos an. V, men. VI, vir in bello potens, aut dissimilis Alexandro, qui tribus preliis in Ytalia, scilicet apud Placentiam et Ticinum, victor extitit, Tetricum, qui adhuc Galliam tenebat, superavit et Aurelianus civitatem edificavit et çenobiam uxorem condam Odenati, que mortuo viro adhuc Orientis tenebat imperium, superavit apud[Page 603]

Inmas, non longe ab Antiochia; cum itaque triennio Romanum orbem ab invasoribus liberasset, ingrediens Romam triumphum habuit quasi receptor Orientis, precedentibus eum Dethro et Çenobia, a qua Rome Zenobia familia nuncupatur. Hic primus apud Romanos diadema capiti suo imposuit et aurata in veste usus est. Hic Romam firmioribus muris cinxit, templum soli edificavit, populo usum porcine carnis instituit; demum, cum Greciam introisset, inter Constantinopolim et Herachiam fulmen iuxta ipsum cecidit, et non multo post occisus est et inter deos annumeratus est.

XXXIX. De Floriano.

Anno Domini CCLXXXII. Florianus regnavit apud Romanos men. II, di. XXIII; nil egit memoria dignum, in Tarso occiditur.

XL. De Tacito imperatore.

Anno Domini CCLXXXII. Tacitus regnavit apud Romanos men. VI, vir egregius, sed nichil potuit morte preventus.

XLI. De Probo.

Anno Domini CCLXXXIII. Probus regnavit apud Romanos an. VI, men III, vir militaris et civilis, qui Gallias a barbaris occupatas recepit, et cum bella innumera peregisset, pacem orbi recuperavit, dicens milites in brevi neccessarios non futuros Iste Probus a militibus occiditur; ipse tyrannos occidit Saturnum, Proculum et Bonosium. Cuius temporibus Felix Rome sedit episcopus, cui successit Euticianus Rome episcopus. Et his temporibus invaluit heresis Manicheorum, dogmatizans duo principia, bonum et malum, purgationem per sua sacramenta permittens; non recipiebant vetus Testamentum et novum corrumpebant; que usque in hodiernum diem venenum effudit.

XLII. De Caro cum filiis suis Numeriano et Carino.

Anno Domini CCLXXXIX. Carus apud Romanos regnavit an. II cum filiis Numeriano et Carino, quos cessares instituit. Carus vero cum Parthos et Persas vicisset, super Tygridem fulmine hictus interiit. Numerianus per insidias, Carinus in prelio brevi tempore occiduntur. Quorum tempore Gaius Rome sedit episcopus, qui fuit de genere Dioclitiani imperatoris.

XLIII. De Diocliciano.

Anno Domini CCXC. Dioclitianus regnavit apud Romanos an. XX. Hic Herculanum Maximianum cessarem fecit, qui pacem Gallie reformavit. Ideoque ex cesare fecit augustum, assumens eum consortem imperii, et regnavit an. XVI. Et quia Britania, Affrica et Egyptus et Oriens occupabantur, Constantium quoque et Galerium cesares fecit; Constancio privignam Herculi dedit uxorem nomine Theodoram, Galerio suam dedit uxorem nomine Valeriam. Cum his igitur et per hos Britanniam recepit et Galliam et Affricam et Egyptum. Cum itaque Dioclitianus victis hostibus tam gloriose regnaret, primus se ut deum adorari precepit et gemmas in vestibus inseri fecit et iussit et in calciamentis; prius enim imperatores salutabantur ut iudices et sola purpura privatum habitum exercebant; termas Rome fecerunt. Dioclitianus et Maximianus Rome triumphum habuerunt, precedentibus victis hostibus et preda virorum. Demum Dioclitianus Nicomedie, Maximianus Mediolani purpuram disposuerunt et privatim vitam elegerunt. Dicentes se propter etatem minus ydoneos

regimini rei publice. Quod tempore fuit auditum. His temporibus Marcellinus Rome fit episcopus. Cui successit Marcellus. Cui, cum venisset per XXX dies corpus martyris inhumatum, beatus Petrus apparuit in visione dicens: Marcelle, sepelli corpus fratris mei Marcellini iuxta me, ut quos non separavit martyrium, quosque iustificavit Dei gratia, non separet sepultura; quod et factum[Page 604]

est, quia secus pedes apostoli sepultus est. [Et si vis invenire de gestis, quas fecit et que facte fuerunt tempore Dioclitiani, recurre ad cronicam Marcelli et Marcelliani pape I].

XLIII. De Constancio et Galerio.

Anno Domini CCCX. Constantius et Galerius, qui prius cessares erant, creantur augusti et dividerunt orbem, et Constantius Ytaliam, Gallias et Affricam, Galerius vero Yliricum, Orientem et Asiam optineret. Sed Constantius, vir egregius et civilis, fisco divicias non accumulans, dicens publicas opes melius a privatis haberi quam inter unum claustrum servari, soli Gallis voluit esse contemptus; amicus fuit Christianorum, quos in sua religione concessit; obiit autem Eboraci et inter divos relatus est. Reliquid vero tres notandos filios, scilicet Constantinum de Helena concubina et Constantium de Theodora uxore legitima. Dalmatius genuit alium Dalmatium, Constantinus vero Gallum et Iulianum, et Constantinus concubine filius successit ei, rex in Britannia factus. Galerius, vir militaris, Yllirico moratus duos cessares fecit, Maximum, quem prefecit Orienti, et Severum, cui dedit Ytaliam. Sed interim Maxencius filius Herculi Maximiani Rome a pretorianis augustus appellatur. Veniens ergo Severus in Ytaliam a Galieno missus Urbem obsedit, sed a militibus desertus est et fugiens Ravennam interfectus est. Respiravit Herculus Maximianus ad resumendum fastigium, intendens nudare filium, profectus est ad Constantinum, cui Faustam filiam suam dederat in uxorem. Sed et cum eum interficere vellet, detectis insidiis per filiam, que viro detexit, fugit Herculus Massiliam, ubi et mortuus est. Per idem tempus Galerius fecit Licinium imperatorem, imperii sui consortem. Sicque Galerio defuncto res publica a quatuor imperatoribus regebatur, Constantino, Maxentio, Licinio et Maximino. Maximinus persecutione in Christianos moritur apud Tharsum, sicque Licinius solus optinuit Orientem. Constantinus autem cum iam regnasset V an., affectavit totius orbis imperium; et cum sollicitus esset, quem deum haberet, in VI anno regni sui congregata multitudo barbarorum super Danubium contra eum, vidit in sompno crucis figuram in celo splendore et audivit dici sibi Grece troton oi, quod Latine sonat: In hoc vince. Iussit igitur hoc signum hoc ex auro et preciosis lapidibus fabricari in vexillo et armis suis; igitur hoc signo et sacerdotum consilio, qui dicebant, quod Christus in hoc signo vincit mortem, diabolus et infernum et victoriosus celos ascendit, audacter ingressus est bellum et optinuit; veniensque Romam movit bellum adversus Maxentium et vicit eum et occidit apud pontem Molvium; et ita Constantinus Rome positus est in solio ut illio. Adhuc Dioclitianus vivebat, et in villa sua moritur et solus omnium privatorum inter eos refertur. Licinius Orientis imperator Christianos persequitur; sub quo Basilius Pontinus episcopus martyrio coronatur; sed demum Thesalonice privatus occiditur. Constantinus ergo monarchus effectus est, qui tres filios habebat, scilicet Constantinum, Constantium et Constantem, et cesares instituit, qui preessent Gallie, Orienti et Ytalie; de Gothis, Cypris et multis aliis triumphavit; multas leges conposuit, sed uxorem Faustam occidit. Constantini temporibus Eusebius Rome sedit episcopus, sub quo, ut quidam aiunt, inventa est crux domini nostri Iesu Christi, et baptizatus est Iudas frater beati Stephani et Quiriacus vocabatur. Eusebius Constantinum cathetizavit; Eusebio successit Melciades. Tymotheus Rome pro Christo patitur, cuius martyrium sanctus papa Melciades dedicavit. Sed et hic Melciades martyrio coronatus est; omnes pontifices preter Marchum hucusque martyrio coronati extiterunt; post hunc Rome Silvester fit episcopus, qui prius persecutionem in monte Syptae latebat. Quo latente Constantinus, qui variis curis implicitus distulerat baptizari, lepra percussus est. Qui, cum ei consultum fuisset, ut in puerorum sanguine lavaretur, audiens maternos fletus ait: Dignitas Romani imperii de fonte nascitur pietatis; et sic pietas imperatoris pii iussit matribus filios reddi; propter quam pietatem proxima nocte misit dominus Iesus apostolos suos Petrum et Paulum ad eum, qui suaserunt, ut per Silvestrum baptismum acciperet et per orbem ecclesias restauraret; citatus ergo Silvester ad eum veniens monuit, ut per ebdomadam ieiunaret, templa ydolorum clauderet, incarceratos relaxaret, elemosinas faceret. Quibus[Page 605]

peractis baptizavit eum; coram quo et Cratone phylosopho, Zenone phylosopho et illustris iudicibus superavit XI Iudeos de fidei nostre articulis disputantes, probans, quod tres sunt persone et unus deus, et quod Christus deus est, et quod ipse sit, qui a prophetis pronuntiatus est; XII vero Iudeum superavit vivificando tauro, quem verbo Iudei occiderunt. Ad hec igitur Helena mater augusti, que iudaizare inceperat, ad fidem conversa est, et ad maiorem nostre fidei affectionem cuiusdam draconis ora conclusit; proinde Christiana religio brevi tempore multiplicata est et per orbem usquequaque diffusa est, et que hactenus in latebris convenit, ex nunc auctoritate principum rei publice Christus et ecclesie sacramentum. Nam edicto Constantini templa gentilium subvertuntur, ecclesie constituuntur; nam et ipse ecclesiam sancti Petri, terram, ut est cernere, ipse met fodiens, et alias patriarchales et alias Rome construxit. Refugientibus ad ecclesiam inpunitatem promisit. Decimas ad hedificationem ecclesiarum censuit offerendas et per iudices exigendas; dominice diei vacationem indixit, crucis patibulum prohibuit; signum crucis in numismate figurari precepit; possessiones ecclesiis concessit. Nam et regalia Silvestro dedit et statuit, ut omnes episcopi subsint Romano pontifici. Et ut ecclesia in tranquillitate maneret, Bizantium secessit, quam fabricis et honoribus ad tantum fastigium provehere molitus est, ut Rome faceret emulam, et secunda Roma diceretur; que a Constantino Constantinopolis appellatur.

Silvester itaque Rome sedens auctoritate pontificali publice usus est, qui statuit, ne Romanus presul ab aliquo iudicetur, et ne presbyter nisi XL testibus condempnetur, et ne maior a minore accusetur, et ne clericus ante laycum iudicetur. Preterrea nomina dierum in ferias conmutavit et in quarta et VIa feria et sabbato ieiunium diffinivit propter dominicam sepulturam. In dominica vero die sollempnizatum propter resurrectionem et in Va feria propter ascensionem; qui quoque statuit, quod presbyter crismate liniat baptizatum in vertice, et precepit in ecclesia uti dalmatica semiplena, que pocius collobii nomine est appellanda. His temporibus Arcius presbyter Alexandrinus multos

sue associavit impietati, dogmaticans pater et filius et spiritus sanctus non esse unius essentie; contra quam Nicena fuit synodus congregata CCCXVIII episcoporum; ubi cum de fide tractaretur, imperator ait ad sacerdotes: Deus dedit vobis potestatem de nobis iudicandi, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Idem: Vos estis dii, non est conveniens, ut homo iudicet deos, sed ille solus, de quo dicitur: *Deus stetit in synagoga deorum*. Ubi symbolum apostolorum fidei est exaratum, et multa preterrea per episcopos constituta. Donatus quoque impie dogmaticavit, baptizatos rebaptizans et filium minorem patre et spiritum minorem filio docens. Aiunt quidam, ut in Triperita ystoria legitur, quod Constantinus ultimo sue etatis anno baptizatus sit ab Eusebio Nicomediensi episcopo, distulerat enim tanto tempore baptizari, desiderans hoc in Iordane fluvio promereri; alii, quod baptizatus a Silvestro, rebaptizatus ab isto Arriano, eo quod in dogma declinaverit Arrianum. Quod si verum est, usus bono principio, malo concluditur fine, sed aborret a vero, ut catholica indubitanter credit ecclesia; demum cum Constantinus bellum pararet in Persas, iusta Nicomediam mortuus est anno etatis sue LVI, regni XXXI, cuius mortem crinita stela prenuntiavit. Cuius temporibus Alexander Alexandrie fit episcopus, fortissimus euuangelii predicator. Pannucius confessor et Egyptius episcopus; Quirinus episcopus Sysianus martyrio coronatur. Metoidius episcopus, qui fuit Tyri episcopus, multa conposuit, qui ad extremum temporibus Constantini vel, ut quidam aiunt, Decii et Valeriani martyrio coronatus est. Iuventus presbyter Yspanus euuangelia versibus dictavit heroicis. Spiridum Cyprorum fuit episcopus, ad caulibus, cum adhuc esset, fures accedentes nullo ligante subito ligabatur; cui filia defunget de quodam deposito interroganti respondit. Cuius horreum, cum fideliter in victualibus occurreret plenum, cuidam fraudatori exinnanitem apparuit. Qui quoque [cibis] aliis deficientibus cuidam peregrino defecto carnes porcinas obtulit in quadragesima comedendas, et ne peregrinus comedere vereretur, ipse prius comedit. Helena Constantini mater pergens Ierusalem[Page 606]

locum dominice passionis, ubi erectum erat simulacrum Veneris, expurgavit; ubi tres cruces invenit, quarum una fuit dominica, que orante Machario episcopo sic discernitur, quia tactu eius mortuus suscitatur, mulier ab egritudine liberatur; preterrea clavos invenit, partem quorum in gallea filii, partem in freno posuit. Sicque adimpletum est illud Zacharie: *Erit quod in freno est equi sancto Domino*; ligni quoque pars est in theca sacerdotali, pars dicitur in statua Constantini. [Et si vis invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam beati Silvestri pape I].

XLV: De Constantino, Constancio et Constante.

Anno Domini CCCXLI. Constantinus et Constantius et Constans filii Constancii, quos predictus pater eius cesares instituit, supradicti filii Constantini regnaverunt apud Romanos an. XXIII. Iusserat autem Constantinus pater supradictorum, quod Dalmatianus nepos, Dalmacii fratris filius, cum filiis imperaret, sed factione interemptus est. Constantinus apud Aquilegiam occisus est. Constans aliquando consulte regnavit, qui Francos domuit. Sed Arrianus effectus est, militibus intollerabilis, factione Magnecii tyranni non longe ab Inspanie partibus interfectus est. Constancius fuit diversa forma. Nam a Persis multa perpressus est, Sapore rege Persarum Mesopotamiam vastante et Nisibi civitatem obsidente. Magnecium tyrannum, qui Gallias, Yspanias, Affricam et Ytaliam optinuerat, vicit, apud Lugdunum se propriam occidit, et Decentius frater eius, quem ad tuendas Gallias cesarem miserat, audita morte fratris Senonis laqueo se suspendit. Quidam quoque Vetranius circa Illiricum electo regium insigne detraxit. Ad hec Gallum filium patris cesarem fecit et Orienti prefecit. Gallus autem Iudeos oppressit et multos nobiles Antiochie interfecit. Sed demum a Constantio propter invidia occisus est. Silvanus et, qui res novas in Gallias moliebatur, extinctus est. Solus ergo Constantius princeps et augustus in Romano fuit imperio. Qui Iulianum Galli fratrem cesarem fecit et Constanciam sororem sibi dedit in uxorem, eumque ad Gallias misit, ubi multa per ipsum egregia facta sunt. Demum Iulianus barbaris suffugatis a militibus augustus appellatus est. Cumque adversus Constancium arma levaret vel moveret, Constancius nimia cogitatione inter Asiam et Capadociam mortuus est. Eisdem temporibus Marchus Silvestro successit, Iulius et post Iulium Liberius Rome sedit episcopus; successit Felix papa.

XLVI. De Iuliano monacho et apostata.

Anno Domini CCCLXIII. Iulianus monachus et apostata regnavit apud Romanos an. II, men. VIII. Hic liberalibus disciplinis extitit eruditus et utraque lingua peritus. Hic cocos, tonsores, et eunuchos exosos habuit, cocos, quia cibis simplicibus utebatur ut philosophus utebatur, tonsentes, quia unus multitudini sufficebat, eunuchos, quia uxor eius obierat. Scriptores vero antique fortune restituit eisque salarium instituit. Et ut sine contradictione optineret imperium, simulata religione iussit episcopos de vinculis Constancii penitus relaxare. [Et si vis invenire de gestis tempore Iuliani, recurre ad cronicam Liberii pape I, et in margine, multa mala invenies de eo]. Sed cum fuerit ab initio Christianus et, ut dicitur, monachus, electus, factus imperator, ad ydolorum rursus reversus, factus est Christianorum proditor et persecutor. Qui Galileos, id est Christianos sic enim prius nominabantur, poetarum et phylosophorum prohibuit legere disciplinas, dicens: Nostris telis vulneramur. Quia Christiani scriptis nostris armati contra nos bella suscipiunt. Qui dum in odium Christi Iudeis templum in Ierosolimis reparandi licentiam tribuisset, eis repurgium facientibus terra de valle crescebat. Eisque recuperantibus subito fit terremotus, saxa discutiuntur, et igneo globo ab interiori templo egresso hedificatores prosternuntur incendio. Sed ne[Page 607]

crederetur occasu factum, in vestibus cunctorum crucis apparuit signum. Qui quoque signum de publicis ymaginibus iussit auferri et Iovis et Martis et similibus formas imprimi; ubicumque ritus paganorum et sacrificia devocius servarentur, precepit, ut sacerdos paganismi ritus imitarentur Christianorum et sanctimoniam sacerdotum. Denique Iulianus de Partis victor remeans, in Persas profectus, conto ylia perfusus interiit, et a paganis inter divos relatus est; utrum vero ab homine vel ab angelo sit occisus, penitus ignoratur; cuius mortem presens spiritu, sed absens corpore quidam religiosus Iulianus agnovit; post dictum Iulianum successit Iovinianus imperator.

XLVII. De Ioviano imperatore.

Anno Domini CCCLXVII. Iovinianus regnavit apud Romanos men. VIII. Hic cum ab exercitu

fuit electus, ait se Christianum non posse preesse paganis; cui exercitus: Et nos per Iulianum Christi nomen abiecimus, Christiani tecum esse volumus; quibus auditis imperii sceptrum suscepit. Qui cum Sapere rege Persarum rerum necessitate compulsus pacem fecit, sed ignobilem, quia Nisiboni et magnam partem Mesopotamie sub certis finibus ei tradidit; quod ab Urbe condita numquam accidit, ut, licet legiones Romane sub iugo immitterentur, sicut accidit in Numidia et Numancia et Yspania: nichil tamen finium tradiderunt; demum repente mortuus est et ob qualitatem intendens relatus est. Cuius tempore synodus Antiochie celebratur qua Macedonianos; et quidem res ecclesiastica sub eo disposita bene fuisset, nisi mors talem principem hominibus abstulisset. [Et si vis scire de gestis, que fuerunt eodem tempore Ioviniani et Iuliani, recurre ad cronicam Liberii pape I]. Eodem tempore predicti Ioviniani fuit beatus Geminianus episcopus Mutinensis; et eodem tempore fuit Liberius papa et beatus Severus Archiepiscopus Ravennae, qui electus fuit per columbam spiritus sancti.

XLVIII. De imperatoribus Valentiniano et Valente.

Anno Domini CCCLXVIII. Valentinianus et Valens frater eius regnavit apud Romanos an. XIII et men. V. Pater horum fuit quidam Gracianus, genere Pannonius, officio funarius. Cuius venalitium funem portanti filio Valentiniano V nequiverunt milites extorquere. Quo merito adlectus est ad miliciam et inde ad prefecturam millenariam. Cum sub Iuliano militaret et Christianam fidem gereret, iussus ab imperatore, aut ydolis immolaret aut a milicia discedat, discessit. Nec mortuus Iulianus et Ioviniano, qui in Christo millenarium perdidit tribunalium, in locum persecutoris accepit imperium. Qui fratrem Valentem in regni assumpsit, sed et filium Germanum de uxore Severa genitum necdum puberem fecit augustum. Valentinianus Saxones oppressit et Burgundionum plusquam LXXX milia, qui non multo post tempore Christiani effecti sunt. Demum cum bellum contra Sarmatas pararet, apud Burgundionem apoplexia mortuus est. Anno secundo Valentiniani Damasus et paulo post Ursinus diaconus Rome fuerunt episcopi, sed prevaluit. [Et si vis scire et invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore Valeriani et Valentiniani, recurre ad cronicam Damasi pape I]. Valens imperator, fautor Arrianorum, ecclesiam[Page 608]

quandam a catholicis abstulit et Arrianis dedit; ad quam accedens Basilius ait: Imperator, scriptum est: *Honor regis iudicium diligit*, et iterum: *iudicium regis iusticia*; et cur cor tuum imperavit, ut catholici de ecclesia eicerentur, et Arrianis daretur? Cui imperator: Iterum ad contumelias reverteris, o Basili? Non decet te. Et ille: Decet me pro iusticia etiam mori. Tunc Demosthenes prefectus epularum imperatoris, fautor Arrianorum et loquens pro eis, fecit barbarismum. Cui ait Basilius: Tuum est de pulmentariis regis cogitare, non dogma divina decoquere. Qui mox confusus tacuit. Dicit imperator Basilio: Vade et iudica inter eos, sed non secundum inmoderatum amorem populi. Abiens ergo dixit coram catholicis et Arrianis, ut fores ecclesie clauderentur et utriusque partis sigillo munirentur, et ad quorum orationes aperirentur, sua esset; quod cum omnibus placuisset, orantibus Arrianis tribus diebus et noctibus et venientibus ad fores ecclesie, si sunt aperte Tunc Basilius processione ordinata venit ad ecclesiam et, facta oratione, levi ictu de baculo pastoralis fores tetigit dicens: *Tollite portas, principes vestras, et elevamini porte eterne, et introibit rex glorie*. Et continuo sunt aperte. Et intrantes Deo gratias reddiderunt, et reddita est ecclesia catholicis. Fecit autem imperator promitti multa Basilio, si sibi consentiret. Pueris ista conveniunt, nam qui divinis saginantur eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus nec unam sillabam paciuntur. Tunc imperator indignatus, dum de eius exilio sententiam vellet scribere, primus secundus, tercius calamus fractus est, unde indignatus cartam fregit.

XLVIII. De imperatore Iohanne Christiano.

Anno Domini CCCLXVIII. Iohannes imperator Christianus regnavit apud Romanos men. VIII post Iulianum apostatam et Iovinianum. Qui Iohannes Christianus princeps cum ad imperium eligeretur et vocaretur mortuo predicto Iuliano et Ioviniano, dixit Romanis: Non decet Christianum esse regem paganorum. Unde illi statim pro eo baptismum catholice receperunt. Tunc temporis Rome sedebat Felix papa; post eum successit Liberius papa secundus.

L. De Graciano imperatore.

Anno Domini CCCLXXXII. Gracianus post mortem Valentis regnavit apud Romanos an. VI. Hic fuit litteris mediocriter instructus, parvus libidini, cibi et sompni imperii sui, qui in tria Domino dedicavit, quia, ut orthodoxos pastores exulati ad ovilia redirent, procuravit. Hic Valentinianum fratrem parvulum socium cessavit imperii, quem pater de Iustina genuerat. Nam Severam uxore legitima Valentinianum, mater Graciani, laudis pulcritudinem cuiusdam Iustine virginis, Valentinianus eam duxit uxorem, de qua genuit Valentinianum genuit, Iustam et Gallam. Gracianus preterea Theodosium filium precedentis Theodosii in consortem assumpsit imperii, sibi tenens transiens Yspaniam, Theodosio regnum tradidit Orientis. Vidit in sompniis, quod Molestius Antiochenis episcopus se clamidem vestiret episcopalem, coronam caput ornaret; veniens Constantinopolim, congregarentur episcopi, Meletium ex precedenti visione cognovit. Gracianus cum videret sibi hostes in Gallis imminere, fretus Christi patibula in pari numero se in hostem dedit, quos incredibili felicitate conferat. Sed quidam Maximus in Britannia imperator efficitur, contra quem, cum ad Gallias venisset, Gracianus accessit, sed fugiens Lugduni captus et occisus est. Maximus ultra procedens Valentinianum augustum de Italia expulit et Victorem filium suum regni consortem effecit. Valentinianus igitur in orientem ad Theodosium fugit. Interim Theodosius, omnem suam fiduciam ad opem Christi conferens, Alanos, Hunnos, Gothos incunctanter aggressus vicit et cum[Page 609]

Athanasio rege Gothorum fedus innuit. Athanasius ergo Constantinopolim veniens et videns magnalia imperatoris et urbis ait: Imperator est deus terrenus. Cumque apud Constantinopolim nature concesserit, Theodosius condigne tradidit sepulture. Unde Gothi benignitatem Theodosii considerantes se Romano dederunt imperio. Parthi quoque ceteraque barbare nationes prius Romanis inimice ultro legatos ad Theodosium miserunt et cum eo fedus inierunt. His temporibus Damasus papa et post Damasum Syricus papa. [Et si vis scire et invenire de gestis,

que fuerunt tempore Graciani, recurre ad cronicam Damasci pape I, et invenies].

LI. De Theodosio et Valentiniano.

Anno Domini CCCLXXXVIII. Theodosius et Valentinianus regnaverunt apud Romanos an. VII et post solus an. III. Theodosius igitur cum Trachias liberasset ab hoste, Archadium filium suum, quem fecit augustum, Constantinopolim derelinquens, contra Maximum se armavit, eumque maior fide, sed longe minor bellico apparatu apud Aquilegiam cepit et occidit; filium quoque Victorem interfecit. Theodosius Romam veniens Valentinianum restituit et Constantinopolim remeavit. Valentinianus itaque restitutus Ytalie potitur imperio. Sed cum in Galliam transisset, dolo Arbogastis comitis et Eugenii gramatici eloquentissimi apud Viciniam strangolatus est. Arbogastes igitur Eugenium elegit imperatorem nomine, ipse acturus imperium. Theodosius hec audiens, fultus prophetia cuiusdam Iohannis monaci, immo auxilio Dei, contra Arbogasten et Eugenium qui cum Mediolanum exirent, dixerunt, quod, si victores reddirent, in ecclesia stabularent et clericos sub armis ponerent bellum intulit, sed a suis quasi destitutus signo crucis et oratione optinuit; ventus enim flavit ex parte Theodosii, qui spicula hostium repellebat et sua fisis infigebat. Captus est igitur Eugenius et occisus. Arbogastes se ipsum occidit.

O nimium dilecte Dei, tibi militat ether,

Et coniurati veniunt ad classica venti.

Cum itaque Theodosius in pace regnaret solus, templa gentilium omnino destruxit, leges instituit, lascivias in conmessationibus prohibuit, consobrinarum nuptias interdixit. Huius quanta fuit apud Deum et homines devotio, presenti patet exemplo. Nam cum apud Mediolanum ecclesiam vellet intrare, prohibitus est ab Ambrosio, nisi publice peniteret, quia multa milia hominum Thesalonice fecit occidi. Qui prohibitionem humiliter pertulit, satisfactione non erubuit. Rursus cum inter cancellos post oblationem moram faceret, ait Ambrosius: Egrede, quia purpura imperatores efficit, non sacerdotes. Imperator paciens obedivit. Huius uxor fuit Placidia, que curam habebat pauperum, visitans xenodochia, ollas eorum propriis manibus tergens, ius degustans et offerrens et similia faciens, que mos est famulis operari. Que marito dicebat: Cogita, quid fuisti et quid sis, et creatori non eris ingratus. Que precibus optinuit, ne imperator cum Eunomio sermonem haberet. Timebat enim, ne calliditate ipsius in eius errorem incurreret. De hac genuit Theodosius Archadium et Honorium; qua defuncta Gallam filiam Valentiniani senioris et Iustine duxit uxorem, de qua genuit Placidam, cui postea matris cognomen accessit. Mortuus est Theodosius apud Mediolanum, cuius corpus Constantinopolim translatum est. Utramque rem publicam filiis Archadio et Honorio quietam reliquit.

Regnavit autem Theodosius partim cum Valentiniano, partim solus cum filiis an. XVII.

LII. De Archadio et Honorio.

Anno Domini CCCXCVIII. Archadius, cum iam cum patre regnavit an. XII, post mortem patris regnavit cum fratre Honorio an. XIII, Archadius in Oriente, Honorius in Occidente. Interrea Gildo comes Affrice Affricam usurpavit, cuius frater Maselçer perfidiam perorescens in Ytaliam venit. Gildo filios duos occidit; Maselçer sciens per Theodosium, quantum valeat oratio pro fide Christi, dies aliquot cum sanctis in ieiuniis continuavit; vidit itaque noctu beatum Ambrosium paulo ante defunctum sibi victoriam et modum, diem et locum indicantem. Pergens ergo cum V milibus LXXXj hostium

sine bello in dedicionem accepit. Gildo in Affricam rediens strangulatus interiit. Maselçer superbia tumens ecclesiam Dei temerarie ausus est; nam quosdam inde extraxit, de quo sacrificio punitus est. Radagaysus rex Gothorum cum CC milibus Gothis repentino inundavit impetu. Invadit ilico Romam, clamatur a cunctis se hec ideo perpeti, quod neglexerint sacra deorum, blasphematur Christus. Sed non sinit Deus suam potenciam minorem infidelium virtute videri. Capitur Radagaysus et tanta Gothorum multitudo in monte Fesulano, quod singuli singulis aureis venderentur Archadius autem cum ab oratione rediret, Theodosium filium relinquens, Constantinopolim moritur. Cuius temporibus Anastasius papa, post Anastasium Innocensium papa. Anastasius Achatius hereticum voluit occulte revocare, et percussus ab angelo interiit. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicas Syricii pape I. et Anastasii pape I, et invenies].

LIII. De Honorio cum Theodosio filio fratris sui Archadii.

Anno Domini CCCCX. Honorius cum Theodosio filio fratris sui Archadii regnavit an. XV. Honorius circa incia imperii sui Romanis bellum gladiatorum interdixit. Contra quem Gothi armantur et Alarico duce an[no] ab urbe Roma condita MCLXIII. Romam invadunt, ex parte incendunt, et a sexto die, quo ingressus fuerat, depredata Urbe fuit egressus. Ecce igitur altera Babilon. Sicut enim Babilon post MCLXIII anno a sui conditione vastata est a Medis et ab Arbace rege ipsorum, sic post totidem an. a sui conditione Roma guastatur a Gothis et ab Alarico rege ipsorum, precepto prius dato, ut quantum possent a sanguine temperarent; et si quis in sacra loca, presertim sanctorum Petri et Pauli basilicas intraret, securus maneret. Tunc Alarico defuncto Athaulphum regem constituentes Gothi Romam redeunt, ut, si qui residui fuerat, more locustarum erodant, auferentes inde Placidiam, quam sibi Athaulphus duxit uxorem. Interrea Stilico, qui fuerat tutor Honorii, ut filium substitueret in imperio, Suevos, Alanos, Guandalos, Burgundiones ad arma commovit. Quo cognito pater et filius occiduntur. Constantinus etiam tyrannus, in Britania imperator electus, misit in Yspaniam filium Constantem nomine. Contra quem Honorius Constancium comitem strenuum et bellicosum misit ad Gallias, qui Constantinum apud Arelatem occidit; filius etiam Constans apud Viennam peremptus est. Athaulphus preterrea Gothorum imperator effectus a Constantio capitur. Hos et multos alios tyrannos Honorius industria Constancii superavit. Itaque Gualia rex Gothorum effectus Placidiam honeste servatam fratri restituit et pacem cum eo fecit. Quam Honorius Constancio dedit uxorem, de qua genuit Valentinianum; preterrea in consortem suscepit imperii. Sed evolutis VI mensibus mortuus est. Post hec Honorius exercitum in Britanniam misit ad defendendum eam a Scotis et Pictis. Similiter et in Yspanias ad defendendum eos a Guandalis et Alanis. Placida vero vidua a fratre Honorio repulsa ivit in Orientem cum filiis Honorio et Valentiniano, que a Theodosio Archadii filio honeste recepta est. Honorius autem, cum regnasset cum patre an. II et cum fratre an. XIII et cum nepote XV, pacatam relinquens Urbem, apud Romam moritur et iuxta martyrium

Petri apostoli sepellitur; cui soboles nulla remansit. Licet enim duas Stilliconis filias, unam post alteram, habuisset, Dei tamen iudicio virgines decesserunt. Quo mortuo quidam Iohannes invasit imperium, fultus auxilio Casticii magistri milicie et Actii. [Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicas Çosimi pape I. et Innocencii pape I]. Cuius tempore sedit Rome Çosimus, post eum successit Bonifacius papa, post Bonifacium Celestinus papa.

LIIII. De Theodosio imperatore.

Anno Domini CCCCXVI. Theodosius apud Romanos regnavit an XXV. Hic usque adeo fuit sapiens, quod inter confabulantes experimentum omnium videretur habere causarum, usque adeo pociens et clemens, ut nullum se ledentium morti subiceret, dicens: Utinam ad vitam possem mortuos revocare;[Page 611]

quarta et VIa feria christianitatis studio ieiunabat. Sacris litteris eruditus, prophetam operibus exercebat. Regalia sicut cuius monasterium erunt. Iram, tristitiam et libidinem sicut inimicos orationibus superabat. Cuius uxor Eudochia christianissima, plurimum litterata. Theodosius itaque Valentinianum filium amitte sue, scilicet auguste Placidie, cesarem facit et cum militibus et matre mittit eum contra Iohannem ad recipiendum imperium. Venientes igitur mira felicitate Iohannem opprimunt et regnum victores accipiunt. Et quia Ravennates Iohannem faverunt, eos depopulati sunt. Quibus, sicut mare Rubrum patuit Moysi, sic terra palutosae et invia adibilis et pervia facta est. Castiniam exilio dampnaverunt, Actio venia data, quia eius studio Hymni ad propria remearunt. Ad hec Valentinianus de cesare fit augustus; post hec Bonifacius intra Affricam rebellis efficitur, quia ad auxilium suum Guandalos et Alanos intromisit Affricam rapinis et ferro flamaque vastantes; sed pacei venit Bonifacius ad Ytaliam, ubi morbo extinctus est. In pace illa data est Guandalis in Affricam porcio ad inhabitandum, ubi Genserici rex eorum, volens catholicam fidem Arriana impietate subvertere, quosdam episcopos de civitatibus suis eiecit sueque heresi constituit nolentes diversis suppliciis afflictos occidit. Postea dolo pacis Cartaginem cepit et loca divini cultus in habitacula privata convertit. Est autem Cartago a Guandalis capta anno Domini LXXXV, postquam cepit Romane dictioni parere. Item Genserici Syciliam graviter affligit. Theodosius imperator contra Guandalos exercitum cum magna classe direxit, sed magis fuere Sycilie honeri quam presidio. Genserico Cartaginem reverso, Hymnis Illiricum et Trachias devastantibus, ex ercitus devastantibus, exercitus Theodosii ad defensionem orientalium revertitur provinciarum; post modum inter Valentinianum et Gensericum pax firmata est, et Affrica inter eos certis spaciis divisa est. Interim Actius patricius effectus est. Gundacarium Burgundionum regem bello contrivit. Interim Gothi quoque Narbonenses infestant, contra quos Hunnis auxiliantibus bellum geritur; cum quibus etiam pax facta est humilior, quam ante prelium poposcissent. Guandalis et Gothis ita furentibus Theodosium ad Valentinianum Constantinopolim vadit et filiam eius nomine Eudoxiam in uxorem accepit. Rursus Britannia incursionibus Scotorum et Pictorum premitur; pirate parte e insule invaserunt, quibus Angli societatem promittunt, sed adiutoribus impugnatores fiunt; pyrate queque Syciliam vastaverunt. Demum Theodosius Constantinopolim moritur et sepellitur. Qui dicitur habuisse cursorem nomine Palladium, qui terminos Romani pertransibat imperii; unde quidam ait de ipso: Iste vir, cum lata Romani res publica, eam parvulam sua velocitate demonstrat. Eodem tempore Rome sedit supradictus Celestinus et post eum Syxtus papa, et post eum successit Leo papa.

[Et si vis invenire et scire de gestis, que fuerunt eodem tempore Theodosii, recurre ad cronicam Syxti pape tercia, et invenies].

LV. De Marciano imperatore.

Anno Domini CCCCLII. Marcianus regnavit apud Romanos an. VII, Valentinianus adhuc in Occidente regnante. Fuit autem Marcianus vir gravissimus, non solum rei publice, sed et ecclesie neccessarius. Contra quem et Valentinianum gravissimum oritur bellum; nam Attila rex Hunnorum, qui Blenda fratrem suum, regni consortem, occiderat, Trachias et Macedoniam, Pannonias et Daciam, Turgos et Nigos et ceteras barbaras nationes aquilonis in finibus conmanentes cum suis regulis sibi parere coegit, ad demoliendum etiam occidentale imperium aspiravit. Igitur non minori fultus sagacitate quam armorum fortitudine amicitiam petebat Gothorum contra Romanos et Romanorum contra Gothos, ut, si hos divideret, utrosque facilius subiugaret. Cuius astucias Actius providens cum Theodorico rege Gothorum federa fecit Occurrit igitur Actius Attilae, fueruntque Actio in auxilio Gundacarius rex Burgundionum et Theodoricus rex Gothorum, Franci, Saxones et Alani et alii multi. Convenere ex utraque parte in campos Cathalaunicos, congregiuntur, et CCLXXX milia hominum occiduntur. Ibi rex Gothorum occubuit; utrique parti fuit lacrimabilis pugna; neuter cessit exercitus, sed tamen Attila superatur. Lorismundus Theodorici filius de paterno funere dolens statuit Attilam[Page 612]

obsidione coartare usque ad internitionem, sed Actius timens, si Attila occideretur, ne Romani a Gothis opprimerentur, suasit Lorismundo redire domum, ut susciperet regnum. Quo reverso Attila reintegrans viribus et maior collecto exercitu Ytaliam furibundus per Pannonias introivit, Aquilegiam aggressus, quam obsedit triennio; demum, cum ciconie uno impetu ex urbe volarent et pullos rostris forinsecus exportarent, hoc augurio fultus Attila urbem expugnavit et cepit. [Et si vis scire et invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore Marciani, recurre ad cronicam Leonis pape primi].

LVI. De Leone imperatore.

Anno Domini CCCCLVIII. Leo maior regnavit apud Constantinopolim an. XV, apud Romam vero quidam Anitus imperator efficitur. Quo defuncto Maiorianus apud Ravennam invadit imperium. Quo iuxta Terraconam occiso quidam Severus apud Ravennam eligitur. Cuius tempore Sogor rex Alanorum in Ytaliam venit. Sed a Ricimere preside Ligurie superatus et iuxta Pergamum occisus est; Severo successit Antemius. Cuius temporibus Genserici rediens in Ytaliam navali certamine superatus est. Servandus prefectus Galliarum et Romanus patricius aspirantes ad imperium capti sunt. Ricimer, qui Mediolani morabatur, insidias paravit Antemio; et licet sanctitate pollens Epyphanus episcopus Ticinensis pacem composuisset, Ricimer tamen fedus violans Urbem invadit. Roma dividitur, pars illum, pars sequitur istum. Bilimer rector Galliarum veniens in auxilium Antemii a Ricimere superatur

et occiditur. At post mensem tercium langoribus cruciatus interiit. Quidam quoque Olibrius regiam dignitatem adeptus est septem menses, occubuit.

LVII. De ÇENONE imperatore.

Anno Domini CCCCLXIII. Çeno apud Constantinopolim regnavit an. XVIII. Mater autem pueri Leonis, timens impetum Çenonis, puerum occulte clericum fecit, qui in clericatu permansit usque ad tempora Iustiniani. Çenone puerum exigente mater alium similem obtulit. Apud Romam quidam Augustulus in Ytaliam veniens, fugato Nepote patricio, qui regnum invaserat, imperium invasit et obtinuit. Mox Odovacer cum multitudine Herulorum et Turringorum ab extremis Pannonie finibus in Ytaliam venire contendit. Qui transiens per rura Noricorum, audita fame Severini servi Dei, ad eum petiturus benedictionem accessit; cui benedictione data Severinus ait: Vade nunc ad Ytaliam, Odovacer, villissimis pellibus inductus, multis cito plura largiturus. Ingresso Ytaliam patricius Orestes occurrit, sed intra Ticinum recepit se. Odovacer vero civitatem fortiter expugnatam ingreditur; gladius sevit, omnia ignis assumit; Horestis capitur et apud Placentiam detruncatur. Ad hec Odovacer multas civitates solo equavit, totam Ytaliam sibi subiecit, regiam dignitatem arripuit. Adimpleta est Severini prophetia. Augustulus videns universam Ytaliam subdi viribus Odovacri, cum rem publicam vix undecim mensibus tenuisset, imperialem deposuit maiestatem; et ita venerabile Romanorum imperium et augustalis illa sublimitas, que ab Augusto scilicet Octaviano incepit apud Romam, cum hoc Augustulo periit. Anno ab incarnatione Domini CCCCLXXV Odovacer Romam ingressus per XIII an[nos] quiete possedit regnum Ytalie. Sed post Theodoricus filius Theodemir regis, rex et ipse Ostrogothorum, qui gratiam Çenonis imperatoris habebat, in tantum quod eum consularibus apud Constantinopolim fascibus sublimasset eique statuam eream equestrem ante palacium erexisset, conquerentibus Ostrogothis, quod imperialia sibi stipendia non sufficerent, ad imperatorem accedens suorumque penuriam exponens, Ytaliam sibi peciit; annuit imperator et plurimam Ytaliam ei concessit populumque Romanum commendavit; proficiscens primo Gepidorum regem et regem Burgarorum regem prostravit, demum iusta Sonnum flumen Aquilegie castrametatus est, ubi Odovacer sibi occurrens fugatus est; exinde cum Theodoricus Veronam accederet, Rome Odovacer occurrit. Cuius exercitus in fugam conversus ex magna parte in Adethesim mergitur. Theodoricus Veronam invadit. Odovacer Romam[Page 613]

rediit, sed obseratis portis exclusus Ravennam reversus est; cuius munitionum obstacula fecit. Theodoricus vero pertransiens Mediolanum accessit, ubi multitudo militum ad eum pervenit. Sed Odovacri exercitus crevit. Ideoque Theodoricus se apud Ticinum munivit. Interim Gundubaldus rex Burgundionum Liguriam ingressus multa diripuit et captivos abduxit. Theodoricus Ravennam accessit et pene per triennium obsedit; tandem Odovacrem in fide susceptum occidit; post beatissimum Epyphanium ad Gundubaldum pro redimendis captivis nuncium misit. Cui, exceptis illis pro quibus precium dedit, sex milia captivorum concessa sunt. Igitur Theodoricus Romam profectus a Romanis magno gaudio suscipitur; quibus singulis annis ad subsidium concessit CXX milia tritici modiorum; et sic tercio anno sui ingressus in Ytaliam totius Ytalie adeptus est ditionem, nisi quod Gothi Ticinum ingressis mox Rugi civitatem invadunt tandem et per biennium depopulantur. Theodoricus iste, licet illiteratus, fuit tamen sapientissimus, qui dicebat, quod qui habet aurum et demonem, celare non potest. Hic cuidam sponse metu sponsi filium proprium deneganti ait: Non habebis virum nisi hunc, quem tu negas filium; quo audito statim confessa est suum esse filium: et ecce alius Salomon. Hic Verone, Ravenne, Ticini palacia fecit. Cuius tempore felicitas maxima fuit, pax et habundantia magna. Hic, ut sui regni vires stabiliret, Lodoici regis Francorum filiam accepit uxorem, sorores suas et neptes tradidit, unam regi Guandalorum, aliam regi Turringorum, alii regi Guisegothorum, alias aliis ita, ut gens non pretermitteretur, que Theodorico vel pactionis federe vel affinitate non fuerit sociata. Dum hec apud Ytaliam aguntur, apud Britanniam Saxones et Britones hinc inde confligunt, et nunc hii, nunc illi palmam habuerunt; sed tandem Saxones potiores totum per longum insula potiuntur. Apud Affricam Huniricus successit Genserici Arrianus CCC et ultra capit episcopos catholicos, multas manus vel linguas abscidit, nec tamen catholice confessionis loquelam eripuit; ecclesias clausit, sed Çenone imperatore supplicante reserantur, et episcopi reconciliantur. Apud Orientem Tracia a Bulgaris devastatur, Constantinopolis incenditur. Et multa alia his temporibus facta in hoc loco tacentur; quorum copiam si habere volueris, recurre ad ystorias que locuntur de papa Felice tercio et Çenone imperatore. Cuius temporibus Simplicio pape sedit; post eum successit Felix papa, et post eum successit Gelasius papa.

LVIII. De Anastasio imperatore.

Anno Domini CCCXCII. Anastasius regnavit apud Constantinopolim an. XXVI. Qui Euticianam sapuit heresim, dicens in Christo duas naturas, deitatis et humanitatis. Huius temporibus sedit Anastasius papa Rome, ad cuius comunione multi clerici discesserunt, eo quod communicasset Ferino, qui communicaverat Acatio; post quem duo pape fuerunt electi, Symachus et Laurentius; unde post multa facta homicidia Symachus optinuit; et firmavit in festis cantari *Gloria in excelsis Deo* et cet. et habitacula pauperibus instituit. Et si vis aliud invenire his temporibus, require in ystoria pontificis Gelasii pape primi.

LVIII. De Iustino imperatore seniore.

Anno Domini DXIX. Iustinus senior regnavit apud Constantinopolim an. VIII. Ad hunc quoque misit Hormisda papa virum sanctitate precipuum Germanum Capuanum episcopum pro fidei reintegratione, qui digne susceptus est et fidem consolidavit. Hoc tempore apud Affricam catholica reformatur ecclesia; nam defuncto Transimundo Arriano successit Hildericus filius eius ex captiva filia Valentiniani principis ortus, quem pater moriens voluit astringere, ne catholice faveret ecclesie; at ipse priusquam regni iura susciperet, universos episcopos in exilium missos restituit et catholicam ecclesiam in Affricam reformavit, que LXXIII an. fuerat destituta. Iustinus similiter apud Orientem cepit sevirere, ut hereticorum nomen extingueretur. Quod cum Theodoricus rex adhuc in Ytalia vivus, Arriana labe pollutus, audivit, Iohannem papam, qui Hormisde successerat, ad Iustinum dirigit intimans, quod, nisi hereticis suas redderet ecclesias, universos Ytalie populos occideret. Iohannes Constantinopolim ingrediens, turbis occurrentibus ei, in conspectu populi ceco lumen reddit supplicanti.[Page 614]

Hic itaque de sua suorumque salute sollicitus magnis fletibus Iustino supplicat, ut sue legationis seriem licet iniuste, accipiat, ut Ytalie periture consulat; annuit imperator et imperator sibi reliquit.

Si vis aliquid invenire eodem tempore, require in hystoriis pontificum Romanorum, scilicet Hormisde et Iohannis pape primus, et multa ibi invenies.

LX. De Iustiniano imperatore.

Anno Domini DXXVII, alibi dicitur an. XXVII, Iustinianus apud Constantinopolim regnavit an. XXXVIII. Iustinianus ab Augusto LI. sumpsit imperium, regnantibus in Francia adhuc filiis Clodoici.

His quoque temporibus sedit beatus Agapitus papa, et post eum Sylverius papa, et post Sylverium Vigilius papa; cui successit Pelagius papa, et post eum Iohannes papa; extractis de cronicis Bede. Et si vis aliquis invenire eisdem temporibus, require ad hystorias supradictorum pontificum, et invenies quod quesieris de aliis gestis, que fuerunt his quoque temporibus, et de Longobardis et aliis gestis et de regibus eorum.

LXI. De regibus Longobardorum et gestis eorum, que fecerunt et fuerunt suis temporibus.

Primus rex Longobardorum vocabatur Agelmundus filius Agionis et regnavit an. XXXIII, et gubernavit et rexit Longobardos per predictum tempus et adoptavit in suum filium, qui postea fuit secundus rex Longobardorum.

Secundus rex. Secundus rex Longobardorum fuit Lamissio post Agelmundum, et regnavit XL an. predictus Lamissio.

III. rex. Gildeoth filius Lethech regnavit XXIII ann., qui tercius rex fuit Longobardorum.

IIII. rex. Gildeothoti quartus rex Longobardorum regnavit et rexit XXI ann.

V. rex. Gedeus, sub quo in Reglanda provincia Rugorum temporibus Odovacri, de quo prediximus, habitabant, in quam multis bellis et laboribus venerant fatigati; quintus rex fuit.

VI. Classo filius Gedeonis regnavit XXVIII ann., qui fuit sextus rex Longobardorum.

VII. rex. Walterus regnavit ann. VII, septimus rex.

VIII. rex. Varro dux super aliquantis Longobardice gentis principatus est, et ex filia filium suscipiens, eum Walterium nominavit, qui fuit octavus rex Longobardorum.[Page 615]

IX. rex. Andolia, qui Longobardos in Pannoniam duxit, et fuit pater Alboin, de quo premiseramus, Longobardorum rex. Rodolindam in matrimonium habuit, que ei Alboin, virum bellis aptum et per omnia strenuum, peperit. Mortuus est itaque Andolin, et regnavit ann. XXI, nonus rex Longobardorum. Ac deinde in regnum iam decimus Alboin ad regendam patriam cunctorum votis accessit.

X. rex. Alboin decimus rex Longobardorum sedes proprias, hoc est Pannoniam, amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut, si quo tempore Longobardis ut si neccesse esset reverti, sui cursus arva repeterent. Igitur Longobardi relicta Pannonia cum uxoribus et natis omnique suppellectile Ytaliam propterant possessuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis XLII, de qua egressi mense Aprilis, per indictionem primam, alio die post sanctum pascha, cuius festivitas omni anno iuxta calculi rationem ipsis Kalendis Aprilis fuit, cum iam anni a Domini incarnatione quingenti LXVIII essent evoluti. De gestis Alboini et Narsetis et aliorum potest invenire in alio libro, in hystoriis pontificum Romanorum. Post Alboinum elegerunt Longobardi alium regem.

XI. rex Clepus XI. rex; nobillissimum virum Ligurie provincie regem statuerunt et fecerunt, et regnavit II ann. et mensibus VI. Post eum, post mortem ipsius regis sub iudicibus fuerunt per decem annos. Postea elegerunt alium regem.

LXII. De Iustino minore imperatore, nepote Iustiniani.

Anno Domini DLXVII. Iustinus minor apud Constantinopolim regnavit an XII. Hic fuit nepos Iustiniani, vir in omni avaricia deditus, contemptor pauperum, senatorum spoliator, cui tanta fuit cupiditas, rabies, ut archas videret ferreas fieri. In quibus ea que rapiebat auri talenta congereret; quem etiam ferunt in heresim Pelagianam dilapsam. Hic cum a divinis mandatis aurem cordis averteret, iusto Dei iudicio amisso rationis intellectu amens effectus est. Hic Tyberium cesarem adscivit, qui eius palacium vel singulas provincias gubernaret.

LXIII. De Tyberio imperatore.

Anno Domini DLXXVIII. Tyberius Constantinus regnavit apud Romanos an. VII. Huic Sophya augusta paravit insidias, volens Iustinianum filium suum sublimare, sed spe sua cassata est. Hic Persas debellavit et vicit et magnam predam cum XX pariter elephantis adduxit. Demum Mauricum, virum strenuum, una cum filio Sophye elegit in imperium, filiamque suam sibi tradidit dicens: Sit tibi imperium cum hac puella concessum. Utere eo felix, memor semper, ut equitate et iusticia delecteris! Iste Tyberius fuit homo iustus, utilis et strenuus, elimosinarius, in iudiciis equus, in victoriis clarus et, quod his omnibus superavit, verissimus Christianus. Et si vis invenire aliquis de eo et de gestis suis et aliorum, que facte fuerunt eodem tempore, require in ystoriis pontificum Romanorum et Iustini imperatoris minoris in illo tempore in illo libro, et multa invenies. Eodem tempore fuit Benedictus papa primus, et post eum Pelagius papa secundus.

LXIII. De Mauricio imperatore.

Anno Domini DLXXXV. Mauricius Capadox, primus ex Grecorum genere, in imperium confirmatus, regnavit an. XX. Hic L milia soldorum misit Oldeberto regi Francorum, ut Longobardos impugnaret et de Ytalia exterminaret.

XII. rex. Atharum filius Delfonis Longobardi elegerunt eum in regem, et fuit duodecimus rex Longobardorum, qui regnavit an. VII, et destruxit civitatem Birsilie positam[Page 616]

super ripam fluminis Paudi, et modo dicitur Bersellus. Et si vis aliquid videre et audire de gestis et tribulationibus, que fuerunt eodem tempore, require in

hystoriis pontificum Romanorum et specialiter in ystoria beati Pellagii pape secundi et beati Gregorii pape primi in illo libro, et multa reperies.

XIII. rex. Agiluf tercius decimus rex Longobardorum, qui, sicut eius assumpsit regiam dignitatem, sic et in matrimonium Theodolingam eius uxorem; cuius supplicatione rex fidem catholicam tenuit et possessiones ecclesie ampliavit. Cui regine Gregorii pape primi multa eidem regine scripsit. Et si vis audire de eo et de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad librum ystoriarum pontificum Romanorum, scilicet beati Gregorii pape primi, et ibi multa reperies.

LXV. De Foca imperatore.

Anno Domini DCVI. Focas regnum invasit apud Constantinopolim. Qui regnavit an. VIII. Cuius anno secundo beatus Gregorius, cum sedisset an. XIII et men. VI, di. X, migravit ad Christum. Eodem tempor e Pisani et Veneti per Orientem et Egyptum bella moverunt. Agiluf pacem cum Focate pacem composuit annualem. Perse Romanis Ierosolimam et multas provincias abstulerunt et sancta prophanantes, etiam vexillum dominice crucis abducunt. Contra Focatem Eraclianus, qui tunc Affricam regebat, bellum movit cumque regnum et vita privavit, tradens regnum Eraclii filii sui. Eodem tempore sedebat Rome beatus Gregorius papa primus; et post eum successit Sabinianus papa primus; et post eum successit Bonifacius papa tercius; cui successit Bonifacius papa quartus, qui impetravit a Focate imperatore templum quod Pantheon vocabatur, quod idem imperator eidem Bonifacio dedit et concessit; et ibi dictus papa fecit ecclesiam in honorem beate Marie et omnium sanctorum in Kalendis Novembris. Et tempore predicti Bonifacii pape fuit Macumeth. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad librum ystoriarum supra dictorum pontificum, omnia per ordinem ibi et per seriem invenies.

LXVI. De Eraclio Eracliani filio.

Anno Domini DCXIII. Eraclius Eracliani filius apud Constantinopolim regnavit an. XXXII, alii dicunt an. XLVIII. Hic fuit christianissimus, qui crucem Domini Ierosolimis reportavit. Hic duos filios habuit, Eraclonem et Constantinum. Agiluf cum Eraclio et cum Francis pacem composuit. Sed Avares Forum-Iulii capiunt ad prodicionem Romilde uxoris Gisulfi ducis Forum-Iuliani, qui rex Avarum promisit accipere in matrimonium. Sed Longobardis peremptis et captis, rex una nocte habuit eam in matrimonio, alia nocte tradidit XII Avaribus, qui sibi succedentes eam libidine saciarent; novissime iussit eam ligari ad palum, inquiens: Talem te dignum est habere virum in maritum, que pocius libidini quam civium et consanguineorum saluti prospicere voluisti. Huius ducisse due filie, ne Avaribus contaminarentur, carnes pullorum crudorum mamillis fasciis alligaverunt, ut putrefacte feterent. Cum igitur Avares eas contingerent, putantes eas naturaliter fetere, dicebant omnes Lombardas fetidas; quarum postea nupsit una regi Alamanorum, alia principi Baioriorum. Ad hec cum regnasset Agiluf XXV an., diem clausit extremum; cuius filius eius est Adaloald rex.

XIII. rex. Adaloald, filius Agiluf, quartus decimus rex Longobardorum cum Theolingda matre sua successit; et tunc fuerunt ecclesie restitute. Cumque regnasset Adaloald an. X et mente insaniret, a Longobardis eiectus est.

XV. rex. Arioald substitutus est rex quintus decimus Longobardorum rex et regnavit ann. XII.[Page 617]

XVI. rex. Rotharus sextusdecimus rex Longobardorum, qui fuit fortis et iustus, sed Arrianus; et tunc fere in qualibet civitate Longobardorum erant duo episcopi, unus catholicus et alius Arrianus. In civitate Ticinensi apud basilicam sancti Eusebii Anastasius Arrianus episcopus resedit, sed postea ad fidem catholicam est conversus, et tunc alter episcopus catholicus. Codicem composuit Rotharus legum, qui Longobarda vocatur. Anno LXVII. ab introitu Longobardorum in Ytaliam multa subiugavit; et cum regnasset an. XVI, regnum Longobardorum Rodoaldo filio suo reliquit.

XVII. rex. Rodoaldus decimus septimus rex Longobardorum regnavit an. V. Cuius uxor Godiperga ecclesiam apud Ticinum sancti Iohannis construxit. Interim Simsebinus princeps Gothorum multas in Yspania urbes sibi subiecit et Iudeos sui regni ad fidem convertit. Eraclio successit Eraclonus filius, qui regnavit an. II, deinde frater eius Constantinus, qui regnavit men. VI. Cui successit filius equivocus, Constans etiam nominatus. Hisque temporibus fuit Rome papa Deusdedit; cui successit Bonifacius papa Vus; post eum successit Honorius papa primus; post quem successit Severinus papa; et post eum Iohannes papa quartus; et post eum Theodorus papa primus. Et si vis aliquid scire vel invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad librum hystoriarum supradictorum pontificum Romanorum, et omnia ibi reperies quod queris.

LXVII. De Constantino qui et Constante.

Anno Domini DCXLVIII. Constantinus, qui et Constans, apud Constantinopolim regnavit an. XXVIII, qui fuit hereticus. Cuius temporibus Martinus papa fuit primus, quem, quando missarum sollempnia celebrabat, spatarius quidam occidere voluit, sed percussus aorisia eum viditi non horruit. Demum Constantinus eum misit in exilium, ubi migravit ad Dominum et miraculis corruscavit; cui successit Eugenius papa primus, canonum scientia plurimum eruditus. Et post eum Vitalianus, qui cantum composuit, quo hodie Romani utuntur. Huius Constantini temporibus regina Persarum nomine Cesara privato habitu Constantinopolim venit et baptismum, quem desiderabat, accepit; quam augusta de fonte levavit. Quod audiens rex Persarum legatos ad augustum pro uxore direxit; legati reginam petunt. Imperator se reginam ignorare fatetur, sed mulierem noviter baptizatam ostendit. Quem legati cognoscentes venerantur; supplicant, ut revertatur. Que respondit: Nuntiate regi vestro, nisi crediderit in Christum, me ulterius consortem habere non poterit. Quid plura? Rex cum LX milibus hominum Constantinopolim venit et cum omnibus baptizatur, ab augusta de fonte levatus; cum uxore remittitur honoratus.

XVIII. rex. Aripertus decimus octavus rex Longobardorum, qui successit Rodoaldo, et condidit oraculum sancti Salvatoris apud Ticinum; et cum regnasset an. IX, regnum duobus filiis

Bertarith et Gondiperto reliquid. Gondipertus Ticini, Bertarith sedit Mediolani. Sed Grimoald dux Beneventanus Gondipertum fraudulenter occidit; quo audito fugit Bertarith Mediolanensis, et stetit XVIII. rex. Grimoaldus XVIII. rex Longobardorum regnavit, qui Francos in Ytaliā venientes multa cede prostravit iuxta civitatem Astensem. Constantinus igitur, ut Ytaliā a Longobardorum manibus eriperet, Athenas venit et mare transiens Tarentum applicuit, et quendam heremitam consuluit, si gentem Longobardorum posset viriliter superare. Qui respondit, quod gens Longobardorum modo superari non posset, quia beatus Iohannes Baptista pro eis continue intercedit, eo quod regina basilicam eius in Moedicia construxit. Progrediens inde Luceriam civitatem destruxit, Agerunciam civitatem sane capere nequivit. Beneventum obsedit, ubi Romoald Grimoaldi regis filius ducatum habebat. Romoaldus itaque Grimoaldo patri suo nuncium direxit, auxilium peccit; rex festinavit. Imperator Neapolim se recepit et inde, bello cum suo dampno peracto, Romam perrexit. Cui papa Vitalianus cum clero devote occurrit et populo. Imperator beato Petro pallium obtulit auro contextum; et cum mansisset Rome diebus XII, ornamenta[Page 618]

civitatis et ecclesiarum, etiam Sancte Marie, ubi fuerat Pantheon, et tecta enea deposuit et civitatem auro expoliavit. In Sycliam regressus est et ibi per quinquenium mansit, et tales Calabrie, Scicilie, Affrice, Sardinie afflictiones indixit, quod nulli spes vite remaneret; sed in balneo apud Syracusanas occiditur.

LXVIII. De Constantino Constantini vel Constantis augusti filius.

Anno Domini DCLXXVII. Constantinus Constantini vel Constantis augusti filius apud Constantinopolim regnavit an. XVII. Cuius tempore Theodorus archiepiscopus et Adrianus abbas a Vitaliano papa missi sunt ad informationem ecclesiarum; ad quod Theodorus iste, ut quidam aiunt, librum penitentialem composuit. Vitaliano successit Adeodatus papa. Post quem Domnus papa, qui paradisum ante basilicam beati Petri candidis marmoreis mirifice statuit. Post Domno pape successit Agatho papa, qui causa componende pacis inter imperatorem et Longobardos Constantinopolim ivit, et osculum in porta civitatis cuidam leproso dedisset, illico sanatus est. Apud Longobardos quoque Grimoald, cum regnavit an. VIII, in basilica sancti Ambrosii mortuus et sepultus est, quam apud Ticinum construxit.

XX. rex. Bertarith XXus rex Longobardorum vero profugus, ut redeat in Ytaliā, voce divina moritur; reversus in regem sublimatur; cuius uxor Rodolinda basilicam sancte Marie ad Perticas edificavit; vero ecclesiam sancte Agathe et portam Palatinam apud Ticinum construxit et martyrum Primi et Feliciani corpora condidit. Cumque regnasset XV an., Cuniperto filio suo regnum dereliquit; quem Alachis dux Tridentinus contra fidelitatem, adnitentibus ei Aldone et Agrasone, Brixianis civibus, regno et palacio Ticinensi privavit. Hic Alachis clericos odio habuit, quod quodam Thoma diacono ad se veniente ait: Veniat, si habet femoralia munda; ad quem diaconus ait: Dicite illi, quia Deus potest in meis causis reprehensionem invenit, ipse non potest. Sed per Dei gratiam misit in auxilium regis, rex de Alachis et exercitu eius victoriam habuit. Hic Cunipertus, uxore sua Theodorem puellam de pulcritudine commendare, et eam cognovit et in monasterio, quod eius nomine appellatur, apud Ticinum collocavit. Franci ante venerabile corpus beati Benedicti pernotare simulantes in castro Cassini ossa beati Benedicti et sancte Scolastice furati sunt et in suam patriam portaverunt. Et si vis scire et invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad ystorias pontificum et specialiter Agathonis pape primi, et ibi quod volueris reperiēs. Agatho successit Leo papa secundus; et post eum successit Benedictus papa secundus; et post eum successit Iohannes papa quintus, qui composuit librum de palii dignitate, tempore infrascripti Iustiniani minoris, filii Constantini.

LXVIII. De Iustiniano minore, Constantini filio.

Anno Domini DCXCVII. Iustinianus Constantini filius apud Constantinopolim regnavit an. X. Hic Affricam a Saracenis recuperavit et cum eis pacem fecit terra marique; simul provincia Affrica redacta est sub Romano imperio. Huius tempore supradictus Iohannes papa, et cui successit Canon papa, et post successit Sergius papa, misso Çacharia spatario suo, misit Constantino imperatori deportari, quia synodo, quam Constantinopolim fecerat, subscribere nolebat; sed milicia Ravennae vicinarumque parcium Çachariam contumeliose repulit. Hunc Iustinianum Leo regno privavit et in Ponto in exilio reposuit; et regnavit Tyberius an. VII. His diebus facta est synodus Aquilegie. Iustinianus post imperium recuperatum Leonem et Tyberium occidit, et quomodo reuma de naso tergebat, unum de Leonis fauctoribus iugulari precipiebat. Gallicinium quoque patriarcham Constantinopolitanum, qui ei contrarius fuerat, erutis oculis Romam misit; Cyrum abbatem, qui eum in Ponto aluerat, patriarcham fecit.

XXI. rex. Cunipertus XXIus rex Longobardorum, cum regnasset an. XII, regnum Luiperto filio suo dereliquit eique tutorem Asprandum instituit. Sed Aripertus puerum occidit, tutorem fugavit, regnum invasit, Laudum et Pergamum cepit. Hic Aripertus hac illac pergens, quid de se diceretur, et qualem iusticiam iudices facerent, privato habitu explorabat. Hic Aripertus Alpes Cocias ecclesie Romane donavit vel restituit. Sed Gisulfus dux Beneventi Campaniam invasit. His temporibus[Page 619]

Benedictus Mediolanensis archiepiscopus Rome causam habuit pro ecclesia Ticinensi, sed victus est. Iohanni pape successit Sinsinius, et Sinsinio Constantinus; quem Constantinum papam Iustinianus augustus ad se Constantinopolim venire fecit, et in platea civitatis eius pedibus advolutus veniam impetravit, cumque honorifice suscepit et remisit et privilegia renovavit. Cuius Constantini temporibus duo Saxonum reges Romam orationis causa venere et ambo mortui sunt. Demum Iustinianus exercitum in Pontum contra Phylipicum, fecit imperatorem, qui Constantinopolim veniens Iustinianum occidit. Cuius temporibus in urbe Roma fames facta est magna per annos tres; post quos tanta fuit ubertas, ut fertilitas inoptata oblivioni meminere.

LXX. De Phylipo imperatore.

Anno Domini DCCXVII. Phylipus apud Constantinopolim regnavit an. I et men. VI; qui Cyrum ad monasterium suum remisit, Constantino pape litteras pravi dogmatis direxit, quas papa respuit; et huius rei causa gesta VI synodorum in porticu Sancti Petri fecit pingi; statuitque populus Romanus, ne carta vel effigies aut nomen imperatoris reciperetur heretici, nec pro eo ad missarum

sollemnia oratio fieret specialis. Hunc Phylipum Anastasius, qui Anthemius dictus, oculis et regno privavit.

LXXI. De Anastasio imperatore.

Anno Domini DCCXVIII. Anastasius apud Constantinopolim regnavit an. III. Constantino pape litteras direxit, quibus se factorem catholice fidei declaravit. Hic classem contra Saracenos in Alexandriam misit, sed Urbem reversus exercitus Theodosium imperatorem elegit et coactum imperio confirmavit.

XII. rex. Aripertus XXIIus rex Longobardorum cum regnasset an. XII et fugeret a facie hostium suorum, in Ticino flumine suffocato, regnavit Asprandus men. III. XXIIus rex Longobardorum cui successit Luprandus filius eius. His temporibus claruit beatus Leonardus monachus.

LXXII. De Theodosio imperatore.

Anno Domini DCCXXI. Theodosius apud Constantinopolim regnavit an. V; qui Anastasium fecit ordinari presbyterum. Et si vis invenire de pestilenciis et gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam Gregorii pape secundi, et invenies quod quesieris. His temporibus conversi sunt Germani ad Christum per Bonifacium episcopum.

LXXIII. De Leone imperatore.

Anno Domini DCCXXII Leo apud Constantinopolim regnavit an. XXV. Hic apud Constantinopolim ymages sanctorum incendit et mandavit Gregorio tercio, ut idem Rome faceret; sed pontifex hoc contempsit et imperatorem excommunicavit. Exercitus quoque Ravennae Veneciarumque unanimiter restiterunt; elegissent alium imperatorem, nisi pontifex restitisset. Augustus ad peiora progreditur, quia salvatoris et genitricis eius et ymages concremari fecit; et quia plerique Constantinopolim resistebant, aliqui sunt caput truncati, alii aliter mutilati. Et tunc passa est sancta Theodosia. Patriarcha sceleri non consentiens propria sede expulsus est. His quoque temporibus Saraceni Constantinopolim per continuum triennium obsederunt, sed fame et pestilentia confusi sunt, et revertentes subita tempestate contritis navibus perierunt. Inter Constantinopolim CCC milia pestilentia interierunt.

XXIII. rex. Liuthprandus XXIIIus rex Longobardorum, qui fuit tante audacie, quia, cum iurassent aliqui eum occidere, cum eis silvam ingrediens evaginato gladio dicebat: Facite quod cogitastis! et tante fuit pietatis, quod eis cuncta confessis protinus dimittebat; et cum Liuthprandus regnum obtineret Longobardorum. Qui cum equitaret per districtum Mediolani, homines illarum[Page 620]

parcium ad eius presentiam accedentes conquerebantur ei, quod non habebant mensuram, et quod unus alterum in mensura decipiebat. Qui posuit pedem super quendam lapidem magnum et spaciosum, volens in eo signum fieri ad modum pedis sui, ad quod emere et vendere deberent. Sed Dei potencia signum pedis eius in ipso lapide fuit sculptum signum et signatum, quod usque in presentem diem ibi apparet, et dicitur pes Liuthprandus; ad cuius mensuram usque in hodiernum diem vendunt et emunt. Tante fuit potencie, quod Bononiam, Auximum, Subtriam, Spoletum et alia plurima subiugavit, Ravennam obsedit et Classem destruxit; sed et contra Romanos multa prelia gessit; cum Romam obsideret, misit Gregorius III. Karolo Martello claves confessionis sancti Petri rogans, ut Urbem liberaret et ecclesiam defenderet a Longobardis; sed tante fuit devotionis, quod Alpes Cocias Romane confirmavit ecclesie. Ossa beati Augustini, cum Saraceni fuissent Sardiniam depopulati, transtulit in Ticinum et collocavit ea in ecclesia sancti Petri ad Celum-Aureum, quam ipse construxit. Edificavit preterea in montem Bardonis ecclesiam Briceti, in Columpna ecclesiam sancti Anastasii, in palatio ecclesiam sancti Salvatoris, ubi clerum instituit, et sic per singula queque loca, in quibus degere volebat; tante fuit sapientie, quod magis confidebat in orationibus quam in armis; pacis fuit amator, qui Francorum pacem et Avarum custodivit; castus, largus, sed litterarum ignarus; qui cum regnasset an. XXXI et mensibus VII, mortuus est.

XIIII. rex. Hyldeprandus XXIIIIus rex Longobardorum successit Liuthprando; regnavit Hyldeprandus regnavit men. VI.

XV. rex. Rathehius XXVus rex Longobardorum regnavit an. IIII, men. VIII.

His temporibus Gregorio successit Çacharias in apostolica sede, Greca Latina que lingua peritus; qui pacem cum Longobardis fecit et filios conpatrum in matrimonio copulari prohibuit. Bonifacius Maguntinus archiepiscopus, qui Werdensem ecclesiam fecit, et Beda presbyter Venerabilis, qui multa conscripsit, et Petrus episcopus Ticinensis claruerunt. Leonis anno primo mortuus est Karolus Martellus, qui apud Francos maior in regia domo erat. Hic regni Francorum a longis retro temporibus intueamur

Post Troie destructionem multa milia Troianorum sub Priamo et Antenore Ravennam applicuerunt et Paduam edificaverunt, ubi sepultus est Antenor. Postea vero in Sithia regione civitatem Sicambriam constituerunt, deinde occupavere Germaniam et dicti sunt Germani. Sed quia tempore Valentini imperatoris eius mandato vicerunt Alanos, vocavit eos Francos, id est feroces. Post transierunt in Turringiam sub principibus Marcomete et Symone. Sed Symone defuncta Marcomedis filium Faramundum regem fecerunt, et leges per quendam sapientem nomine Salagustum habere ceperunt; a quo lex Salica dicta est, qua Franci utuntur. Hinc Roma decrevit, et Francia crevit. Nam transito Reno ceperunt et fugare Romanos, qui habitabant ibi, et cepere Aggrippam, que nunc Collonia dicitur et novo incollatu eorum, et Tornatum et Cameratum et Renus et Treverim et Suesonam, Aurelianis et pene totam Galliam et Germaniam ab Equitania usque Bagueram vendicaverunt. Inter reges Francorum fuerunt Miroveus, a quo postea reges nominati sunt Mirovei, et Clodoveus, qui Glodosindam filiam regis Burgondionum Christianam accepit uxorem. Ad cuius orationes et exhortationes baptizatus est a sancto Remigio, angelo de celis oleum ministrante, quo adhuc Franci reges unguntur. Iste Clodoveus vovit equum suum se beato Martino daturum, si triumpharet in Gothos. Triumphavit, solvit votum, sed redimere volens C solidos transmissit, sed equus stetit immobilis. Ideoque misit alios C solidos, et sic equus secutus est. Unde Clodoveus ait: Sanctus Martinus est bonus auxiliator, sed carus negociator. Huius Clodovei filii, nepotes et pronepotes postea regnaverunt, ut Lotharius filius eius et filii eius Lotharii, qui regnum dividerunt: Aribertus Parisius, Guntramus Aurelianus, Hylpericus

Senonis, Sichipertus Metis optinuit. Sed ad tantam inbecillitatem reges devenere Francorum, qui regibus adhuc nomine solo manentibus qui maior enim in domo regia, regni erat administrator, ut venerabilis Arnulfus Metensis episcopus, vite sanctitate perspicuus, et post Anchisus filius eius, ab Anchise Troiano denominatus; post quem Pipinus Grossus, cuius suum Gethrudis; post hunc Karolus Martellus, Pipini Grossi filius ex concubinato Alpheide ducisse. Qui Bagueram, Sueviam, Guasconum, Saxonum, Frigiam vicit, CCCLXXXV milia Saracenorum in Yspania interfecit eosque bellum Narbone committens maxima cede prostravit. Et post, cum Saraceni Arelate cepissent, legatos cum muneribus mittens ad Luithprandum regem Longobardorum contra Saracenos auxilium postulavit. Quo in adiutorium[Page 621]

properante Saraceni fugerunt. Illam quoque provinciam subiugavit in qua est Parisius, que tunc Gaudiana vocabatur, et vocavit eam Franciam lingua Latina, Theothonice Karlinguiam. Terra vero que Franconia dicitur a quodam Francone duce, ut quidam asserunt, appellavit. Ytaliā quoque a Gothis liberavit. Primus consensu decimas Çacharie pape militibus dedit in feudum pro ecclesiarum necessitate. Cum itaque regnum Francorum tam feliciter per XXVII an. administrasset, sicut premissimus, anno primo Leonis diem clausit extremum, tribus relictis filiis, Karlomanno, Pipino Nano, Graffone, qui regni diviserunt administrationem. Sed Graffo iniquus a fratribus eiectus apud Averniā in quodam castello permansit. Karlomannus habuit Theothoniam, Pipinus Franciam. Sed post annos quatuor Karlomannus per Çachariam papam factus est monachus in monte Syrach, postea transivit ad Montem Cassinum, ubi etiam porcos aliquando custodivit. Pipinus itaque Nanus solus extitit regni administrator, Hyldrico rege nomine solo manentes. Sed quia rex erat ignavus et inutilis, auctoritate Çacharie pape Pipinus in regem a Bonifatio Maguntino aliisque principibus electus est, et Ildrico in Monte Cassino monacho facto, auctoritate Stephani pape, qui Çacharie successit, a fidelitate Ildrici cum omnibus principibus est absolutus et in regem inunctus, ubi regnum inimicorum finem accepit, et regnum Karolorum incepit. Et si vis aliquid scire vel invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam Çacharie pape, et ibi invenies quod quesieris. LXXVIII. De Constantino Leonis filio.

Anno Domini DCCXLII. Constantinus Leonis filius apud Constantinopolim regnavit an. XXXV, qui fuit patre peior, quia sacrificiis demonibus immolavit.

XXVI. rex. Astulfus XXVIus rex Longobardorum regnavit an.VIII, qui Dei ecclesiam molestavit et civitates ad ius beati Petri pertinentes invasit. Unde Pipinus Nanus rex Francorum rogatu Stephani pape in Ytaliā venit et Astulfum iurare coegit, quod ecclesiam Romanam ulterius non molestaret. Deinde Pipinus Romam veniens honorifice susceptus est; et eo in Franciam reverso Astulfus nihil promissorum servavit; unde Pipinus rediens Ravennam et quasdam alias civitates numero XX cepit et ecclesie Romane donavit et Astulfum arcus obligavit. Mortuus est anno XIII. regni sui, duos derelinquens filios, scilicet Karolum Magnum et Karlomannum, qui regnum diviserunt. Stephano pape successit Paulus, qui sepe monuit Constantinum pro ymaginibus restaurandis; post quem Constantinus adhuc laycus sedem invasit apostolicam; post alius Stephanus, et postmodum Adrianus. Post Astulfum regem Longobardorum successit Desiderius rex Longobardorum.

Iste Desiderius ecclesiam Romanam impugnans primo cepit Faventiam, Ferariam seu Comachium de Ravennate abstulerit exarchatu. Et si vis aliud scire et invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, et quas fecit eodem tempore contra ecclesiam Romanam, de persecutionibus suis, quas fecit contra pontifices Romanos, scilicet Stephanum et Adrianum papam primum, predictus Desiderius, et quomodo Karulus Magnus, qui cum obsedit in civitatem Papiam et cepit eum, uxorem et filios et conduxit eos in carceribus in Franciam, Aquisgrani deduxit, et mortui fuerunt ibi; et iste Desiderius ultimus rex fuit Longobardorum, et liberavit ecclesiam Romanam dictus rex Karolus a dicta persecutione et bona dedit et donavit eidem Romane ecclesie recurre ad cronicas supradictorum pontificum, et ibi invenies. Anno Domini DCCLV, tempore Astulfi regis et VIII anno domni et Silvestri pape primi translatus est corpus beati Silvestri Nonantulam. Anno Domini DCCLXXIII, apud quos regnatum fuerat, postquam Ytaliā intraverant, et an. CCVI. Deinde Karolus reversus in Franciam subiugavit Saxoniam. XXVII. rex. Reperitur in legenda beate Iulie virginis et martyris de Desiderio rege Longobardorum: *Postea autem tempore procedente quidam nobilis vir*[Page 622]

civitatis Brixie, fidelis et devotus, Desiderius nomine, cum quodam tempore apud Ticinum barones et potentiores Longobardorum [regem] crearent, Desiderius aloquitur Ansam uxorem suam dicens: Proficiscar Ticinum, ubi principes Longobardorum convenerant, ut faciant sibi regem. Uxor vero eius subridens ait: Vade! forte eligent [te] in suum regem. Proficiscens devenit igitur prima die in quendam locum, qui usque in hodiernum diem appellatur Lenum. Et ponens ibi se ad quiescendum sub quadam arbore, cum obdormisset, ecce quidam serpens consurrexit subito et venit ad capud eius et astringens caudam cum capite fecit in modum serti coronam in capite eius. Serviens autem suus hec videns noluit eum excitare, timens, ne serpens lederet eum. Et dum hec agerentur, in sompniis videbatur Desiderio, quod diadema regni Longobardorum poneretur super capud eius. Excitatus autem et serpente recedente, nulla molestia illata sibi, dixit servienti suo: Surge! Eamus, quia vidi sompnum, per quod puto me regem futurum. Et dum essent in via, famulus suus confessus est ei, quid sibi acciderat de serpente. Intrans autem aulam, in qua erat multitudo expectans, scire volens, quem electores eligerent in regem. Et cum pluribus diebus instassent electioni et nulla ratione convenire possent in unum, qui in aula expectabant Desiderio dixerunt: Vade, Desiderii, intra ad eos et dic ad eos, quia omnes tedio afficimur expectantes tanto electionem eorum. Qui ingressus secure ad eos narravit murmurationem omnium expectantium regis electionem. Illi autem videntes Desiderium, de quo nulla mentio apud eos facta fuerat, dixit unus ex eis coram omnibus: Ecce Desiderius vir nobilis est, quamvis non multum in rebus dives, strenuus in armis, elegamus ipsum in

regem. Breviter Dei nutu omnes concordant in eum. Et adimpletum est in eo quod dictum est: Insuspicabilis portabit diadema. Et vocato eo in conclavi, insignia regalia imposuerunt super eum. Quod cum divulgatum esset in aula, omnes letari ceperunt. Ipse autem non inmemor de loco illo, ubi serpens cinserat capud, et ubi etiam fixerat signum, ad honorem domini nostri Iesu Christi et sancti Benedicti confessoris construxit monasterium ingens et nobile, ubi copiosa monachorum multitudo in sancta religione Domino devotissime deservivit; quod etiam privilegiis, villis et terris plurimis dotavit. Ansa vero uxor eius, devotissima regina, vestigia sequens mariti, intra civitatem monasterium eque nobile [et] locuplex de suo pecculio fecit fieri, quod dotavit magnifice villis, terris, pratis, molendinis, fontibus, servis, mancipiis, tam in episcopatu [Brixie quam] Cremonae et Placentiae et Regii et pluribus aliis locis. Dona etiam largissima contulit ecclesiae dicti monasterii, aurum, argentum, lapides preciosos, turribula, phyalas, cruces, testa euuangelia et alia palia, samita et sericas vestes, sicut decebat reginam Longobardorum, et tanto plus, quanto ex magno affectu et pia devotione hoc agebat. Et constituit, ut de hiis que donaverat monasterio conventus magnus haberetur[Page 623]

sanctimonialium et virginum, que die ac nocte devotum obsequium Domino exhiberent.

Post hec misit devota regina gentis Longobardorum nuncios sollempnes et fide dignos ac devotos in insulam Corsicam et mandavit, ut corpus beatissime martyris Iulie cum omni sollicitudine deferrent ad monasterium, quod ipsa construxerat. Qui fideliter et devote mandata complentes corpus dicte virginis ad civitatem Brixie detulerunt et in predicti monasterii ecclesia honorabiliter locaverunt; ubi per eius merita et orationes multas multa beneficia conferuntur, prestante domino nostro Iesu Christo. Qui cum *patre et filio et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Iste rex Desiderius fuit ultimus Longobardorum rex et XXVIIus.

LXXV. De Leone imperatore.

Anno Domini DCCLXXVII. Leo apud Constantinopolim regnavit ann. VI; post venit imperium in manus uxoris Leonis nomine Yrene.

LXXVI. De Yrene uxoris Leonis.

Anno Domini DCCLXXXIII. Yrene regnavit apud Constantinopolim cum filio suo Constantino an. X. Cuius temporibus, scilicet anno Domini DCCLXXXVI, crucis signum repente in vestibus apparuit, et sanguis de celo profluxit. Hanc Yrenem, quia Karulo nubere voluit, Greci monasterio instruxerunt et Nicophorum elegerunt.

LXXVII. De Nicophoro imperatore et filio eius Staurario.

Anno Domini DCCXCIII. Nicophorus apud Constantinopolim regnavit an. VIII. Post quem Staurarius filius eius regnavit men. IIII apud Romam. His temporibus Adrianus papa primus, Leo papa tercius successit. Hic Leo papa synodum celebravit, in qua dampnavit hereticos dicentes Christum Dei filium adoptivum. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam pontificis Leonis pape, et ibi omnia per ordinem invenies.

LXXVIII. De Karlo Magno imperatore, Uliverio et Rolando.

Anno Domini DCCC, anno ab Urbe condita MCLII. Karolus, cum regnasset in Francia an.

XXXIII, a Leone papa tercio unctus est in Romanum imperatorem et imperavit an. XIII, men. I

di. VIII. Hic confirmavit ecclesie Romane que donaverat Pipinus pater suus, et iunxit ei ducatum

Spoletanum et Beneventum et alias etiam ecclesias possessionibus ampliavit. Hic cum Michaele, qui post Staurarium apud Constantinopolim regnavit an. II, et post cum Leone successore pacem perpetuam hoc modo firmavit, ut alter alterius super nominetur et alter ab altero semper iuветur; Grecus imperator habet Orientem et Constantinopolim, et Karolus et successores habent Romam et Occidentem.

Abhinc gesta orientalium Grecis cyrographis his relinquentes, que apud nos gesta sunt orientalia prosequamur. His in pace conpositis Karolus Ierosolimam causa orationis per Constantinopolim ivit et per Sycliam et Calabriam et Apuliam Romam rediit; et Aquisgrani reversus, ubi sedem regni constituit, et finem vite suscepit. Anno Domini DCCCXIII, anno regni sui imperii XLVI, subiecit

Ytalie XLIII, etatis sue LXXIII. Cuius XII fuerunt precipui pugnatores: Rolandus, Uliverius et Turpinus archiepiscopus cum sociis suis. Duos reliquid filios, Lodoicum regem Equitanie et Pipinum regem Ytalie.

LXXIX. De Lodoico filio Karoli cum Lothario filio suo.

Anno Domini DCCCXIII. Lodoicus Karoli filius apud Romanos cum Lothario filio suo regnavit an. XXV. Audita namque morte patris de Equitania veniens Aquisgrani per asensum principum adeptus est imperii principatum. Apud quam Leo papa de impositis criminibus per nuncios se purgavit. Apud Constantinopolim vero Leoni, cum regnasset an. VIII, men. VI, successit alius Michael, qui regnavit an. VIII et men. VIII. Cui substitutus est Theophylus filius eius, qui post mortem patris regnavit an. XIII, men. III. Huic Lodoico Ytaliā ingresso beatus Iohannes Baptista in visione apparuit in territorio Sabinensi precepitque, ut edificaret ei ecclesiam; quod et fecit in loco ubi dicitur Argentella. Hic regna potenter obtinuit usque ad Farum. Hic tres filios habuit, Lotharium, quem consortem fecit imperii, Karolum, quem ducem fecit Equitanie, Lodoicum, quem ducem instituit Baguarie. Hic Lodoicus augustus, ut nobiles aliceret ad clericatum, clericis licentiam dedit vestibus preciosis utendi et divisas domos habendi. Et si vis aliud scire de gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam Stephani pape quarti, et invenies quod quesieris. His temporibus Stephano pape successit Pascalis papa primus; post Pascalem Eugenium papa secundus; post Eugenium Valentinus papa primus, post quem Gregorius papa quartus.

LXXX. De Helena imperatrice et Nicero, Lothario, Michaele

Curipale.

Hisque temporibus Constantinopolim Helena sola imperavit an V; Nicerus

imperavit an. VIII. Rome Lotharius an. X. Constantinopolim Michael Curialis imperavit an. II.

LXXXI. De Lothario Lodoici filio.

Anno Domini DCCCXL. Lotharius Lodoici filius regnavit apud Romanos an. XV. Ad hunc Theophylus imperator Constantinopolitanus legatos misit promittens dare filiam suam Lodoico filio suo. Sed dum ista geruntur, nature Theophylus iste concessit. Cui successit. Lotharius autem ab imperiali benedictione Romam misit, a fratribus, scilicet Karulo Aquitanie et Lodoico Baguarie duce, regnare volentibus impugnatus est. Divisit igitur cum eis imperium; Karolo cessit Francia et Britania, Lodoico Bagueria et Alamania, Lothario vero Ytalia, Provincia et Lothoringia; a quo etiam sic denominata est. Ecce magnus defectus imperii! Cum enim Karolus quasi per medium cum Greco divisisset imperium, hic Lotharius, nepos Karoli, terciam dumtaxat partem habuit medietatis imperii. Qui quoque tres filios habuit, Lodoicum, Lotharium et Karolum, quibus regnum, quod cessit ei, divisit: Lodoico Ytaliam cum nomine imperatoris, Lothario Lothoringiam, Karolo Provinciam. Et ecce maior defectus imperii, quia devenit ad terciam partem dumtaxat in tercie partis medietatis. Demum Lotharius imperator factus est monachus. His temporibus Gregorio papa quarto successit Sergius papa secundus.

LXXXII. De Lodoico Lotharii filio.

Anno Domini DCCCLV. Lodoicus Lotharii filius regnavit apud Romanos an. XVIII. Hunc coronavit papa Sergius secundus, natione Romanus, sub quo Ytalia a Saracenis vastata est. Et si vis scire et invenire de gestis, quas fuerunt his temporibus, require cronicas[Page 625]

supradictorum pontificum, scilicet Sergii pape, Gregorii pape et Benedicti pape tercii et Leonis III, omnia per ordinem invenies quod queris. Hisque temporibus post Benedictum successit Paulus papa secundus, post Paulum Stephanus papa V; cui successit Nicholaus papa primus, post eum Adrianus papa secundus, post eum Iohannes papa VIII. LXXXIII. De Karulo Lodoici senioris filio et patruo iunioris, agnomine Calvus.

Anno Domini DCCCLXXIII. Karulus Lodoici senioris filius et patruus iunioris, agnomine Calvus, regnavit an. unum et men. VIII. Hic enim, cum esset Francie, Romam venit et imperium per Iohannem papam inunctus obtinuit; de, ut diximus, aiunt quidam, quod prepucium Domini transtulit de Aquisgrani in pagum Putaviensem apud Carosiam. His diebus eius fuit Lodoicus rex Baguarie et Alamanie apud Francheferth mortuus tres filios dereliquit, Karolomannum, Lodoicum et Karolum. Qui diviserunt inter se regnum Theothonicum. Karlomannus filium habuit Arnulfum nomine de nobili femina, sed non legitimum.

LXXXIII. De Karulo minore, Lodoici filio.

Anno Domini DCCCLXXV. Karolus minor, Lotharii filius, apud Romanos regnavit an. VII. Hic cum esset rex Provincie, Romam venit et a Iohanne papa VIII. coronatus est. Coronatus igitur privilegium fecit de libertate clericorum et ecclesiarum. Apud Constantinopolim successit eius uxor Odochia, que regnavit an. XXVI. Michael autem mortuus est in Crisopoli, translatus est in urbem regiam et in templo Apostolorum sepultus. His quoque temporibus post Iohannem papam VIII. successit Martinus papa secundus, post Martinum Adrianus papa secundus. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam Iohannis pape VIII, et omnia ibi invenies.

LXXXV. De Arnulfo Karolomanni filio.

Arnulfus Karolomanni filio non legitimus, cum esset rex tercie partis, regnavit apud Romanos an. XII. His temporibus Adrianus Arnulfum legitimavit; cui Stephanus papa VI. successit; postea Formosus papa primus. Et si vis scire de gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam Formosi pape. Tunc temporis Formoso pape successerunt sequentes ordine disposito: Bonifacius papa VI, Stephanus papa VII, Romanus primus, Theodorus papa secundus, Iohannes papa IX, Benedictus papa IIII, Leo papa Vus, Christoforus papa primus.[Page 626]

LXXXVI. De Lodoico filio Arnulfi.

Anno Domini DCCCCII. Lodoicus filius Arnulfi regnavit an. IIII. Apud Theothonicos regnavit Henricus an. XIII, sed diadema capiti non imposuit. His temporibus Ungari depopulantur Ytaliam, sed anno Domini DCCCCVII, octavo Kal. Octubris; posteaque de anno in annum sepe reversi sunt depredati. Lodoico successit Conradus, nequissimus fortunator et ecclesiarum devastator, ideoque substulit eum Deus; cui successit Henricus Saxonie dux, ad regnum vocatus.

LXXXVII. De Berengario primo imperatore.

Anno Domini DCCCCVII. Berengarius primus regnavit apud Romanos an. VI. Cuius tempore sedit Sergius papa tercius, qui Christoforo fuerat substitutus et in papa electus.

LXXXVIII. De Berengario secundo.

Anno Domini DCCCCXIII. Berengarius imperator secundus regnavit apud Romanos an. III. Cuius tempore sedit Anastasius papa tercius in papatu; cui successit Lando primus; post eum successit Iohannes papa, qui filius fuit Sergii pape. Apud Theothonicos regnavit primus Conradus. Iste Berengarius an. III.

LXXXIX. De Ugone.

Anno Domini DCCCCXIII. Ugo regnavit apud Theothonicos an. VI tempore supradicti Iohannis pape. Et si vis aliud invenire et scire, recurre ad ystorias antecessorum comittisse Matildis, et ibi omnia invenies.

LXXXX. De Berengario tercio.

Anno Domini DCCCCXXI. Berengarius tercius regnavit an. VIII. His diebus successit Leo, Stephanus et Iohannes, Marinus et Agapitus.

LXXXXI. De Lothario.

Anno Domini DCCCCXLIII. Lotharius regnavit an. II; cuius tempore erat Marinus papa.

LXXXXII. De Berengario quarto.

Anno Domini DCCCCXLVII. Berengarius quartus regnavit an. XI, qui regnum Ytalie cum imperio adeptus est et regnavit cum Alberto filio suo. Apud Theothonicos regnavit primus Otto, Henrici filius. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam Iohannis pape XII. et Agapiti pape secundi, et omnia per ordinem invenies.

LXXXXIII. De primo Ottone imperatore.

Anno Domini DCCCCXLI. primus Otto regnavit apud Romanos an. VI; qui Iohanni pape Leonem substituit, eo quod cum Adelberto convenit; sed eiecto Leone Iohannes a Romanis restituitur; cui defuncto Benedictus papa substituitur; sed imperator Benedictum deposuit et Leonem restituit, et filium suum sibi equivocum ab eo coronari obtinuit. Hic Leo papa donationes factas a Iustiniano imperatore, Ariperto rege, Pipino et Karolo ecclesie Romane in regno Ytalie de consensu cardinalium[Page 627]

et episcoporum et presbyterorum, diaconorum et tocus cleri et populi Romani, sicut dicitur, imperatori Ottoni remisit et sibi suisque successoribus concessit et largitus est, ut regnum Ytalicum ab inimicis liberaret in perpetuo veneremur. Et de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam Benedicti pape V, et omnia invenies.

LXXXXIII. De Ottone secundo imperatore.

Anno Domini DCCCCXLVI. secundus Otto regnavit apud Romanos an. XXVIII. Cuius temporibus Leoni pape successit Iohannes, qui deprehensus et captus a Rofredo et Petro prefecto et cet., ut in cronica Iohannis pape XIII. invenies.

LXXXXV. De imperatore Ottone tercio.

Anno Domini DCCCCLXXXXIII. Otto tercius regnavit apud Romanos an. VI. Cuius temporibus terremotus per X dies totam Ytaliā agitavit. Et si vis aliud scire, require cronicam Iohannis pape XIII, et ibi omnia invenies.

LXXXXVI. De Henrico Claudio duce Noricorum.

Anno Domini MI. defunctis Ottonibus absque heredibus Henricus Claudus dux Noricorum, id est Baguariorum, eligitur a principibus; qui regnavit an. XXIII, imperavit an. X; qui anno MXIII. imperator factus est, qui multa prelia vicit, qui apud Bavenpergam cathologo sanctorum anumeratus est. Cuius temporibus Silvester papa secundus; cui successit Iohannes papa XVIII, et post eum successit alius Iohannes papa XIX, et postea Sergius papa quartus, et postea Benedictus papa substituitur VIII. Quo rursus eiecto Gregorius substitutus est, quem imperator Henricus deposuit et ultra montes transportavit, et Clementem substituit. Huius Henrici capellanus fuit nomine Landulfus Cremonensis episcopus, qui monasterii sancti Laurencii et Cremonensis populi fuit accerimus persecutor. Quocirca populus eum de civitate eiecit et palacium turibus et dupplici muro muratum destruxit. Proinde, licet episcopio multa cunquisierit, tamen multa per superbiam et inerciam perdidit.

LXXXXVII. De Henrico secundo.

Anno Domini MXIII. Henricus secundus, qui imperavit an X; sub huius tempore fuit fames valida et periculosa.

LXXXXVIII. De Conrado, qui successit Henrico secundo.

Anno Domini MXXVI. Conradus quidam dux Francorum successit Henrico secundo, qui neptem sancti Henrici duxit uxorem et regnavit apud Romanos an. XIII; qui eodem anno intravit Ytaliā. Cuius temporibus Clementi secundo successit Damasus secundus. Anno Domini MXXXIII. apud Constantinopolim Michael successit imperium regnavitque IX an.; et successit Michael nepos eius et regnavit an. IIII; nam evulsis oculis de regno a Theodora imperatrice eiectus est; successitque Constantinus, Monarchus factus est, regnavit an. III.[Page 628]

Anno Domini MXXXVIII. a Conradus moritur, et Henricus filius substituitur.

Et si vis scire vel invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam Benedicti pape VIII, et omnia que volueris invenies.

LXXXXIX. De Henrico Conradi filio.

Anno Domini MXLVII. Henricus III, Conradi filius, apud Romanos coronatus est et regnavit an. XI. Cuius temporibus sederunt in papatu Damasus papa secundus, Leo IXus, Victor secundus, Stephanus IXus; post quem Benedictus Xus; cui successit Nicholas secundus. Eiusque temporibus, anno Domini MLI. edificata est Ierosolimis ecclesia sancte Resurrectionis. Anno Domini MLII, eiusdem temporibus, scilicet anno Domini MLI, Luprandus apostolice sedis legatus Michaelē Constantinopolitanum patriarcham Constantinopolim excommunicaverat, ecclesiam Latinos aunitas. His temporibus, anno Domini MLVI. defuncto Constantino Monarcho Theodora imperatrix per biennium Constantinopolim rexit imperium. Cui successit Michael Onricas, qui regnavit an. II, et electus ab Ysachio factus est monachus; succcssitque Ysachius, qui regnavit an. II. Anno Domini MLVI. Henricus moritur; cuius corpus ultra montes translatum est; et permansit vacuum regnum XXVI an. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam Leonis pape IX. et hystoriam comittisse Matildis, et omnia invenies.

C. De Henrico quarto.

Anno Domini MLXXXVIII. Henricus quartus regnavit apud Romanos an. XXVI; quem filius eius adeo persecutus est, quod ei regalia resignavit. His que temporibus Nicolao secundo successerunt Alexander papa secundus, qui cum Candalo Parmensi episcopo contemptione fuit electus, sed obtime Alexander, et Gregorius papa VIIus, qui captus est a quibusdam Romanis apud sanctum altare nocte natalis Domini, sed eadem die dimissus in suo statu receptus est. Sed fugiens imperatoris insidias. quem de electionibus arguebat episcoporum,

in Apuliam pervenit; ubi a Roberto Guiscardo honorifice susceptus est, sed apud Salernum sepultus est. Anno Domini MLXXXVIII. imperante Henrico, his temporibus Robertus Guiscardus invasit Apuliam et etiam Romam impugnare presumpsit. Ierusalem a paganis et Turcis capitur. Quidam et Turcomanni orientalia regna ceperunt, qui sic dicti sunt a Turcho duce ipsorum. Homines agrestes sunt, non habentes[Page 629]

manentem civitatem, migrantes, omnia sua bona secum portantes, de loco ad locum. Anno Domini MLXX. civitas Astensis capta fuit ab Adleida. Constantinopolim vero Constantinus Ducas contemporaneus regnavit an. VIII, et post obitum eius Esidechia uxor eius VI menses rexit imperium et nupsit Diegeni Romano, qui regnavit ann. IIII, men. III, et captus est a Turchis in prelio in oriente. Cuius postmodum oculis evulsis a Grecis, per consensum Michaelis imperatoris et Ducas, predicti filii Constantini, regnavit Michael per an. VI; quem Nicoforus nominatus a Greco deiecit imperatore, et eo monacho facto, sponsam eius duxit uxorem et regnavit an. III. Sed et hunc Alexius regno privavit et monachicum habitum induere fecit. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, require cronicam pontificis pape noni Stephani, et omnia invenies.

CI. De predicto Henrico et Alexio et obsidione Nonantule.

Anno Domini MLXXXIII, eodem tempore Gregorii pape VII, predictus Henricus regnabat apud Romanos; apud Constantinopolim regnavit Alexius tum solus, tum cum filio suo Kaloiano an. XXXVII, men. V. Eodem anno obsessa fuit Nonantula a comitissa Matildi.

CII. De fame maxima per Ytaliam.

Anno Domini MLXXXIII. valida fames Ytaliam occupavit. His temporibus sancta civitate Ierusalem tamdiu a gentibus possessa, cum mercatores Christiani venirent ad eam et aurum pro tributo in porta persolverunt, sed non haberent nisi cum gentilibus ubi capud reclinarent, mercatores Amelphitani plateam vacuum ante portam ecclesie dicti Sepulcri a civitatis principe impetrantes, asylum de suo comuni edificatur iuxta monasterium eorundem, quod usque hodie Sancta Maria de Latina vocatur, in quo possent Christiani manere, cum contingeret eos accedere. Posueruntque custodes, qui deberent Christianos recipere. Venientibus itaque multis peregrinis causa devotionis, venit quidam sacerdos Francigena nomine Petrus, officio heremita. Qui videns sancta prophanari, festinus rediens, Christianis suasit, ut ad liberandam sanctam civitatem ab infidelibus festinarent. Concurrunt itaque peregrini. Sed plusquam C milia Christianorum peregrinorum per Constantinopolim transeuntium, quia in Dominum peccaverunt, a Turcomannis miserabiliter occiduntur. Rediens itaque Petrus heremita, nichilominus viriliter agens, ad papam accessit Urbanum secundum.

CIII. De obsidione civitatis Antiochene.

Anno Domini MXCVIII. Franci Antiochiam mense Octobris obsessam in Iunio feliciter obtinuerunt, Francis per cordarum scalas super muri apicem intromissis,[Page 630]

operante quodam Turcho, cui per sompnum imperavit Christus dicens: Quia dormis, et redde Antiochiam Christianis! Et apparente eis sancto Georgio milite super equum album sedente, albis vestibus induto, totaque nocte clamante: Venite post me! Intremus civitatem! obsederunt eam, tanta inopia famis confecti, quod equos, asinos et camelos, canes et mures et grana in stercoribus reperta comederent. De hac victoria dictum est:

*Cum fuit urbs capta tam nobilis Antiochena,
Undecies centum, si subtrahis inde bis unum,
Tunc tot erunt anni Domini de virgine nati.*

Deinde soldanus de Perside cum ingenti exercitu civitatem obsedit et usque adeo Francos artavit, quod multi fugerent. Sed cuidam clerico fugienti Dominus ait: Revertere et dic populo, ut peniteant, et salvi fient. Commiscuerunt enim cum mulieribus Turcorum. Cum itaque penitentiam egissent, civitatem in Iulio exierunt et timore Domini misso in hostes eos viriliter fugaverunt. Fugit ipse soldanus cum XXX principibus, fugit et Corbagath nimis ferus et nimium tediosus. Antiochiam itaque[Page 631]

Boamundus, cuius machinatione civitas fuerat acquisita, princeps optinuit. Eodem anno fuit prima guerra de Crema, que est usque in hodiernum diem non solum Cremonensium, sed etiam aliorum frixorium Longobardorum.

CIIII. De captione per Fenicem, Sydonem et Tyrum, Anchon, Caypham et Cesaream et Ierusalem.

Anno Domini MLXXXIX. Franci progressi per Fenicem, Sydonem et Tyrum, Anchon, Caypham et Cesaream et Ierusalem pervenerunt, et circum eam cotidie processionem nudis pedibus facientes, eam virtute magna ceperunt.

Anno milleno [centeno] quo minus uno

Virginis a partu, Domini qui claruit ortu,
Ierusalem Franci capiunt virtute potenti,
Quindecies Iulio iam Phebi lumine tacto,

Quippe Godefredo patrie mox principe facto.

Est recuperata post CCCCXX circiter annos, ex quo sub Eraclio secunda vice a Saracenis capta fuit et deinde possessa. Capta quidem urbe quandam crucis particulam in secreto loco repositam invenerunt, quam ad sepulchrum Domini retulerunt. Audiens hec rex Babilonis, ut Francos in Ierusalem caperet, accelleravit. Sed Franci usque ad Ascalonam viriliter obviantes et eum viriliter impugnantes; de quorum diviciis his Franci ditati

gloriose Ierusalem rediere. Sed Robertus Normanie comes et Robertus Frandie comes per Constantinopolim ad propria remearunt Raymundus comes Lauditiam accessit. Dux autem Godefredus, Tancredo secum retento, Ierosolimitanum obtinuit principatum. Audientes Boamundus princeps Antiochie et Balduinus frater Godefridi predicti, princeps Edisse, victoriam sociorum maximo cum labore Ierusalem pervenerunt, et Daiberto Pisano archiepiscopo in patriarcha constituto, ad suos principatus perfecto peregrinationis itinere feliciter redierunt; et fuit tempore Urbani pape secundi.

CV. De Boamundo.

Anno Domini MC. Boamundus a Turchis captus est, et Godefredus Balduini frater electus est. Qui Edissam Balduino comitti, cognato suo, committens et Ierusalem per multos labores pervenit, et modico tempore terram ultra Ascaloniam et partes Arabie, ut sue dictioni subiceret, perlustravit. Eodem anno papa Pascalis creatur, quem quidam ex Romano clero adeo persecuti sunt, quod tres prelatos insignia induentes eos in summos pontifices erigere presumpserunt; sed demum ab eodem Pascali confusi prostrati sunt.

CVI. De Balduino.

Anno Domini MCI. Balduinus in Bethleem coronatus in regem, quod frater omnimodis recusaverat, dicens neminem debere coronari in regno vel de regno regis Christi; sed consilcius sapientibus visum est, ut, quod [Iudei] Christo fecerunt ad ignominiam,[Page 632]

Christiani faciant ad honorem et gloriam. Simile est de rasura Petri et nostra. Nondum Christiani plusquam CCC milites habebant et tot de peditibus, qui Ierusalem, Iopem, Ramulam et castrum Cayphe custodirent, nullumque portum preter Iopem; cetera Saraceni. Tunc temporis Ianuensium stolidus advenit; convenitque inter regem et eos, ut quicumque Saracenorum civitatem caperent, terciam partem haberent. Primo itaque ceperunt oppidum Assur, deinde urbem Cesaream Palestinam, ubi archiepiscopum constituerunt. Tempore procedente rex cum paucis contra ducem Babiloniensis milicie prope Ascalonam dimicavit eumque et immensum illius exercitum superavit.

CVII. De captione Tortose et obsidione Ferarie.

Anno Domini MCII. Alius Francorum exercitus superveniens labores multos et dampna perpressus est, sed postmodum Tortosam ceperunt; inter quos fuit comes Pictaviensis et comes Burgondie et comes Blesensis; cum quibus et vix CC militibus rex viginti Saracenorum milia cum suorum infortunio expugnavit infra Ramulam; aliaque vice Iopem, quam prendiderunt, gratia salvatoris adiutus obtinuit. Eodem anno in Ytalia Ferariam civitatem obsedit comitissa Matildis.

CVIII. De Boamundo, qui liberatus fuit a carcere.

Anno Domini MCIII. Boamundus a Turcorum carcere liberatus est et sicut princeps Antiochie receptus est; qui et Lauditiam a Tancredo, qui eam Constantinopolitani imperatoris hominibus abstulerat, acquisivit.

CVIII. De obsidione, Acon.

Anno Domini MCIII. Rex obsedit Acon et auxilio Ianuensium impugnavit eamque per deditionem optinuit. Eodem anno Boamundus iuxta Charcam, que est prope Eufratem, contra Turchos pugnavit magna strage suorum. Dein Franciam properans filiam regis Phylipi Constanciam accepit uxorem, principatu Tancredo relicto.

CX. De Tancredo principe Antiochie; de expugnatione quam fecit contra Saracenos.

Anno Domini MCV. pugnavit Tancredus Antiochie princeps contra Saracenos eosque viriliter expugnavit. Rex quoque Balduinus inter Iopem et Ramulam cum quingentis militibus et duobus milibus peditum XV milia Turchorum, Ethiopum et Arabum superavit. Eodem anno in vigilia nativitatis Domini Ierosolimis magnus extitit terremotus.[Page 633]

CXI. De cometa et duobus solis et stellis.

Anno Domini MCVI. Cometa magnus, rutila et niveus incipiens in Febuario quinquaginta diebus apparuit mundo; et duo quoque soles apparuerunt, et stelle de celo pluries vise sunt. Ugo Magnus, qui Tyberiadem possidebat, Damascenos superavit, sed in alia expeditione interiit.

CXII. De militibus Iopite et Boamundo.

Anno Domini MCVII. Milites Ioppite quingentos milites et mille pedites inter Ioppem et Ierusalem latitantes in latibulis superarunt. Eodem anno Boamundus, qui de Francia in Apuliam venerat, cum V milibus militum et LX milibus peditum Duratium obsedit, eo quod Alexius Constantinopolitanus peregrinis erat infestus.

CXIII. De pace Boamundi cum Alexio.

Anno Domini MCVIII. Boamundus pacem cum Alexio fecit et rediit in Apuliam.

CXIII. De rege Tripolitano, qui cepit Bertramem comitem.

Anno Domini MCIX. Rex Tripolim auxilio Ianuensium cum Bertramo comite cepit et Bertramum inde comitem investivit.

CXV. De captione civitatis Beriti et obsidione a Balduino rege.

Anno Domini MCX. Rex Balduinus Beritum civitatem obsedit et cepit, et Edissenis, qui a Saracenis obsidebantur, cum Tancredo principe Antiocheno illuc adiens annone auxilium dedit. Deinde Ierusalem reversus auxilio Germani regis Norensium, qui cum LV navibus venerat peregrinus, Sydonem civitatem obsedit et cepit.

CXVI. De destructione Novarie.

Eodem anno civitas Novarie destructa est.

CXVII. De obsidione Tyri et destructione civitatis Laude.

Anno Domini MCXI. Rex Balduinus adivit principatum Antiochenum et Tancredo contra Persos tulit auxilium, deinde regressus Tyrum obsedit, sed non cepit. Eodem

anno civitas Laudensis in Ytalia capta et destructa fuit a Mediolanensibus.
CXVIII. De morte Tancredi.
Anno Domini MCXII. Tancredus moritur, successitque Rogerius cognatus ipsius.
CXIX. De eclipsis solis et terremotu et comitisse Sycilie et de concilio.
Anno Domini MCXIII. Sol passus est eclipsin, et terremotus in Ierosolimitano regno in illo bis extitit anno. In quo Saraceni Christianos suo proposito penitus destructur[Page 634]

in insula que est inter Ior et Dan congregati sunt; contra quos rex Balduinus cum suo dampno pugnavit; et interim Ascalonite circa Ierusalem segetes dissipant. Eodem anno comitissa Sycilie Adalaida, uxor comitis Roberti fratris Viscardi, Acon causa peregrinationis applicuit. Eodem anno concilium apostolicum in Lateranensi basilica celebravit. In quo cassatum est illud privilegium, potius privilegium appellandum, a patribus per violentiam extinctum.
CXX. De combustione civitatis Cremone.
Eodem anno civitas Cremone crematur incendio.
CXXI. De multitudine locustarum.
Anno Domini MCXIII. Multitudo locustarum ab Arabia partibus advolans Ierosolimitanas segetes dissipaverunt; maximus terremotus in Antiochenis partibus fuit, domos et munimina multa subvertit; ante quam musce non introibant.
CXXII. De castrametatione, quam fecerunt Turci inter Antiochiam et Damaschum, et de subversione civitatis a terremotu, et de obitu comitis Matildis.
Anno Domini MCXV. Castrametati sunt Turchi inter Antiochiam et Damaschum. Doldequinus itaque rex Damascenorum pacem cum rege Balduino et principe Rogerio composuit. Conveneruntque simul adversus eos. Interim Ascalonite Ioppem obsederunt. Regibus igitur ad sua reversis soli Antiocheni Turchos animositate valida superarunt. Eodem anno subversa est Mamistria terremotu. Eodem anno rex Balduinus in quodam monte Arabia, qui est inter montem Abarim, in quo Dominus Moyses seppellivit, Ior et Synai, castrum edificavit et [Regalem]-Montem nominari precepit. Et eodem anno comitissa Matildis obiit. Et si vis scire de obitu et gestis, quas fecit, recurre ad ystoriā suam.
CXXIII. De rege Balduino et comitis Adalaide.
Anno Domini MCXVI. Rex Balduinus dimisit Adalaidam comitissam condam Sycilie, quam sua vivente apud Edissam iniuste duxerat in uxorem.
CXXIII. De multitudine locustarum.
Anno Domini MCXVII. In Ierosolimitanis partibus multitudo locustarum segetes et arbores devoravit. Et luna prius rubore, postmodum tota nigredine perfusa est. Eodem anno rex Balduinus castrum edificavit iuxta Tyrum, quod Scandileon, id est Campum-Leonis, constituit nominandum.[Page 635]

CXXV. De morte regis Balduini et Alexii.
Anno Domini MCXVIII. Rex Balduinus universe carnis debitum solvit, cum regnasset an. XVIII; cui tributa dederunt Cedar et Egyptus, Dan et homicida Damaschus; et sepultus in Golgota iuxta fratrem suum ducem Godefredum. Cui sobole nulla relicta successit alius Balduinus comes Edisenus, cognatus ipsius; qui multitudini Turcorum iuxta Ascalonem viriliter restitit, sed neutra pars alteram asillivit. Eodem anno Alexius Constantinopolitanus viam universe carnis ingressus est. Regnavit pro eo Kaloioanes filius eius.
CXXVI. De Gelasio papa secundo, et de pestilentia principis et de milicia et exordio militum Templi.
Anno Domini MCXIX. Gelasius papa secundus, qui Pascali pape successit, cum in Urbe concorditer fuisset electus et in sede locatus, fugiens imperatoris Henrici festinum adventum apud Capuam consecrationis benedictionem accepit. Imperator autem Mauricium Bracharum archiepiscopum inmisit, quem populus Romanus Burdinum vocavit. Gelasius vero per Pisas et Ianuam transiens apud Sanctum Egidium applicuit et Cluniacum usque perveniens ibi viam universe carnis ingressus est et sepultus. Eodem anno Antiochenorum contra Turchos prope Artesium oppidum, quod est prope Antiochiam, dimicantium VII milia occiderunt propter luxuriam principis et magnatum suorum. Sed post, cum rex Balduinus accessisset ibidem prope, iuxta oppidum Sardonis vel Sardarium est dimicatum. In qua pugna, licet sanguinolenta, Christiani consecuti sunt victoriam. Eodem anno milicia Templi sumpsit exordium.
CXXVII. De Calixto papa secundo et aliis gestis, que suo tempore fuerunt, et maxime in Lombardia et ultra mare et Antiochiam.
Anno Domini MCXX. Calixtus papa secundus creatur, apud Cluniacum electus. Qui cum esset ex patre Burgundie comite natus, sicut inter seculares clarissimus, sic inter ecclesiasticos fuit eximius. Qui cum ad Urbem, sedem apostolicam festinaret, ecclesiam Pisanam consecravit, Sutriumque accedens Burdinum cepit intrusum. Qui cum palafredo camelo insidens in traverso et pro freno caudam manibus tenens et pro pallio rubeo pilosa pelle vestitus, Urbem rediens in comitatu pontificis precedebat, et sic multipliciter illusus, in Cavensi monasterio intrusus vitam finivit. Eodem anno rex Ierusalem ivit Antiochiam et Turchis viriliter obstitit prope Caliptum, et remisit omnem exactionem omnibus in Saracenis Ierusalem causa vendendi triticum et ordeum et legumina ingressuris. Eodem anno fuit in Ytalia inter Cremonenses et Parmenses clades bellica, qua Cremonenses cum Parmensibus in Parmensi glarea conflixerunt.[Page 636]

CXXVIII. De rege Balduino, qui destruxit castrum Iaret.

Anno Domini MCXXI. Rex Balduinus castrum, quod Tuldequinus rex Damasci XVI. miliario iuxta Iordanem construxerat, obsedit et obtinuit et ad solum usque destruxit. Cuius nomen Iartam incole nominabant; fuit olim civitas Gerasa in Arabia sita.

CXXIX. De rege Ierusalem.

Anno Domini MCXXII. Rex Ierusalem Antiochiam ivit et gentem Parthicam ab infestatione conpescuit.

CXXX. De rege Henrico.

Anno Domini MCXXXIII. videns imperator Henricus, quia non est scientia, non est potencia contra Dominum, rediit ad pacem ecclesie, remittens omnem investituram et quicquid spiritualium privilegio violenti extorserat, et concedens canonica fieri electione et consecrationem sic ait: *In nomine sancte et individue. Ego Henricus et cet.*

CXXXI. De captione Balduini a Turchis.

Eodem anno Turchi Balduinum ceperunt; pro quo Eustachius, qui Cesaream possidebat, terre custos preficitur. Ad hec Ioppem obsederunt, sed demum iuxta Acotum gens perfida fugatur et trucidatur et vincitur et Dei potencia superatur. Ad hec Venetica potentissima classis, que iter ad Terre Sancte subventionem arripuerat, inde propiciante Domino accelleravit et inmensam Turchorum classem, que ad obsidionem venerat, apprehendit. Ad hec Gonselinus comes Edissenus, qui diu inibi fuerat, de carcere liberatur; quod etsi callide factum fuerit, nec calliditatem scribimus nec ascribimus calliditati, sed misericordie et potencie Dei.

CXXXII. De Cristiculis Veneticis, qui Tyrum obsiderunt.

Anno Domini MCXXXIII. Cristicole Ierosolimitani Tyrum cum Veneticis obsederunt, sed iterum Ascalonite cum sua iactura Ierusalem infestant. Et Balach cum innumerabili exercitu Antiochenos invadit, quem Gonselinus Edissenus comes viriliter expugnavit eique caput abscidit; et sic adimpletum est sompnium eius, quod viderat, quod sibi oculos Gonselinus erueret. Igitur in mense Iunio Tyrus capitur et a Christianis in Dei nomine possidetur. Ubi ut condam archiflumen, sic et nunc instructus est archiepiscopus, qui patriarche Ierosolimitano constat de facto subesse, quamvis submurmuret Antiochenus antiquo iure Grecorum munimine fultus. Ad hec tertia pars Tyri Venetis hereditario iure conceditur, duabus sub regia potestate relictis. Eodem anno fuit Honorius papa II. et sedit an. VI, men I, di. XXVIII.

CXXXIII. De liberatione Balduini de carceribus.

Anno Domini MCXXV. Rex Balduinus, cum fere duobus annis vinculis conpeditus fuisset, de carcere liberatus Ierosolimam venit et festinanter Antiochiam rediit. Veneti redeunt[Page 637]

Tondum et Mothonem et Samum et Chium, imperatoris Greci insulas, invadentes pro velle menia destruxerunt, personas captivarunt, res omnimodas abstulerunt. Rex autem Balduinus habens milites mille et duo milia peditum quindecim milia militum Borsequini et regis Damasci fugavit iuxta castrum Hasar et occidit, apprehendit et sauciavit; post hec edificavit castrum iuxta Berritum in monte Gravano, sic dicto quasi a gladiando, quia ibi rei gladiabantur, id est dampnandi iudicabantur. Deinde versus Damascum duxit exercitum, ubi predam maximam acquisivit, postmodum contra Ascalonem, ubi hostes impulit et intrusit.

CXXXIII. De Lothario imperatore et de gestis, que fuerunt suo tempore.

Anno Domini MCXXVI. Lotharius regnavit apud Romanos an. XII. Qui quia progeniem Henricorum nimis acriter persequabatur, contra eum Conradus electus est. Sed eo per compositionem cessante Lotharius confirmatur. Hoc anno MCXXVI. Rex Balduinus versus Damascum direxit expeditionem, et pervenerunt Tyberiadem, deinde Iordano transito pervenerunt Caveam-Roob et ultra Meddam turrim quandam precipitaverunt; deinde ad castrum Solome et inde ad prataria Sophar ubi Paulus apostolus colaphum accepit a Domino, per tres dies visione privatus audaci fortitudine processerunt; post cum filio Tudelquini regis pugnantes victoriam adepti sunt et Ierusalem cum triumpho reversi, duabus turribus in reversione destructis; postea invitatus a comite Tripolitano Raphaneam civitatem obsedit, ubi Sabbaticus fluvius VI diebus siccum exhibet alveum et septimo fluit habundanter. Cumque cepisset eam, comitti tradidit possidendam. Ad hec cum contra Turchos Antiochiam properasset, Babilonii portus nostros navali certamine temptaverunt, sed nichil proficientes dampna perpassi sunt. Et ecce post multos labores multaque pericula Boamundus adolescens, filius condam Boamundi maioris, de Apulia venit in Antiochiam, ubi rex eum honorifice recepit et unam ei de filiabus suis tradidit in uxorem et cum filia [terram] sibi hereditario iure tradendam. Eodem anno visus est in partibus orientis inter orientem et septentrionem cometa, qui nascens antelucanum versus nonam radium emittebat. Eodem anno in Ytalia civitas Cumana capta est a Mediolanensibus in Augusto. Eodem anno gelavit Eridanus, id est Padus, ut super glaciem eius curus et equi discurerent.

CXXXV. De multitudine soricorum.

Anno Domini MCXXVII. In regione Palestinorum multitudo soricum ebullivit, qui boves et alia animalia devorabat et sata penitus devastabat; quibus in volestribus Tyrionum cataclismo de pulsus regio illa putore corrupta est.

CXXXVI. De Boamundo et de gestis, que fuerunt suo tempore.

Eodem anno Boamundus Antiochenus oppidum Caphardam, quod est prope Apalmiam vel Eufemiam, obsedit et habitatores, licet se multo redimere volentes, occidit. Sed orta est inter eum et Goselinum comitem Edissenum inmensa discordia, ut usque ad Antiochie muros dirriperet universa.[Page 638]

CXXXVII. De destructione Syracuse.

Eodem anno barbari Syracusam civitatem invadunt, conburrunt et cuncta diripiunt.

CXXXVIII. De rege Balduino et de celebratione concillii et confirmatione milicie ordinis et regule Templi et de gestis, que fuerunt eodem tempore.

Anno Domini MCXXVIII. Rex Balduinus oppidum Blahasam, quod a Sydone quatuor miliariis in arduis edificatum fuerat, obsedit et cepit. Eodem anno apud Trecas archiepiscoporum et episcoporum et abbatum inter quos sanctus Bernardus affuit Clarevariensis concilium est celebratum. In quo fuit Templi milicia corroborata et regula sancti militaris ordinis instituta. Lotharii temporibus sedit Honorius in papatu. Qui cum fuisset electus sub contemptione Teobaldi cardinalis et presbyteri, humiliter mantum deposuit. Fratres itaque videntes humilitatem ipsius unanimiter ei obedientiam prestiterunt. Hic cum descenderet in Apuliam, ut cum Rogerio dimicaret, investigans fraudem baronum, seniori consilio Rogerium de ducatu Apulie investivit. Hic per P[etrum] cardinalem patriarchas Aquilegensem et Venetum deposuit. Huic Innocentius papa secundus successit. Qui quoque sub contemptione cum Petro Petri-Leonis presbytero cardinali, cui Anacletus nomen imponitur, fuit electus, Innocentius electus, sed Anacleto preter Francigenos Romanum vulgus adhesit. Anacletus crucifixum aureum, aureas coronas et ecclesiarum thesauros accipiens in Apuliam se recepit et regnum et Rogerium regem esse concessit. Innocentius vero navigio Pisas pervenit et inter Pisanos et lanuenses treguas composuit. Indeque proficiscens apud Sanctum Egidium concilium celebravit. Transiens in Franciam a Lodoico rege Francorum et Henrico rege Anglorum honorifice receptus est. Progrediens in Lothoringiam a rege Lothario promissionem accepit, quod cum ad beati Petri sedem reduceret. Rediens itaque Remis sedem et apud Placentiam tertium concilium celebravit. Reversus Pisas inter Pisanos et lanuenses pacem composuit, et recolens beneficia sibi a Pisanis et lanuensibus collata Pisane concessit ecclesie primatum Sardinie et tres episcopatus in provincia Corsice. lanuensem vero exemit ad subiectione ecclesie eamque metropolim faciens subiecit et Bobiensem et quosdam Corsicanos episcopos. Dum hec agerentur, ecce rex Lotharius festinus promissor advenit. Rex igitur et pontifex Urbem pariter adierunt, ubi pontifex sedem in Lateranensi ecclesia, et rex imperiale obtinuit diadema. Post hec imperator in Alamaniam, et pontifex revertitur ad civitatem Pisanam, ubi quartum celebravit concilium. Et quoniam Rogerius Petrum heresiarcam anomine Anacletum adhuc in errore fovebat, christianissimus imperator, ecclesie catholicus advocatus, de Almania rediens, cum summo pontifice Apulie fines invasit et totam potenter in fortitudinis brachio subiugavit. Rogerius autem in Syciliam fugit; pontifex igitur et imperator comitem Ramonem ducem fecerunt Apulie. Sicque pontifex ad Urbem, et imperator in Teuthoniam remearet. Petrus vero heresiarcha in errore suo conputruit et defunctus est. Cuius sectatores alium elegerunt, quem Romani Carnicorvium nominabant. Demum ad pedes summi pontificis misericordiam postulantes misericorditer recepti sunt. Auctoritate autem summi pontificis Compostelana ecclesia facta est metropolis. Lotharii quoque temporibus regi Balduino successit Fulco Andagavensis comes. Iste Fulco filiam regis Anglie habuerat in uxorem; qua defuncta, filiis ex ea susceptis, arcesitus est, ut Melisendam primogenitam Balduini duceret in uxorem. Balduinus enim filium non relinquerat, sed quatuor filias. Accessit itaque Fulco et reginam accepit et regnum; ex qua genuit Balduinum et Aimericum, qui[Page 639]

fuerunt fratres regis Anglie; alia sororum principi nupsit Antiocheno, tertia comitti Tripolitano, quarta Deo, in Bethania abbatissae functa officio. Et si vis aliud scire vel invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam Innocentii pape secundi, et invenies.

CXXXIX. De Conrado et de gestis, que fuerunt suo tempore.

Anno Domini MCXXXIX. Conradus regnavit apud Romanos an. XII. Hic est Conradus, qui Lothario cessit elatus. Cuius soror marchioni Guilielmo de Monte-ferato nomine lulitta fuit matrimonio copulata, ex qua Vque filios genuit eximiis meritis hac serie rescribendis, scilicet Guilielmum, Conradum, Bonifacium, Fredericum et Raynerium, quorum diversa fuere dona fortune, sicut inferius calamus declarabit. Conradi temporibus in papatu sederunt Celestinus papa secundus et Lucius papa secundus qui armata manu Capitolium ascendit, sed Romani vi deiecerunt eum, Eugenius, qui cum esset abbas Sancti Anastasii, ex insperato concorditer electus est. Qui propter metum civium fugit in arcem Monticelli et inde ad monasterium Farfense, ubi gloria consecrationis accepit. Verum quamvis fuisset ei cives infesti, tamen auctoritate Deo, qui *spirat ubi vult*, quia *potens erat in opere et sermone*, conversi sunt ad pastorem et episcopum animarum suarum et eum cum gaudio magno et sollempni processione receperunt in Urbe. Conradi regis temporibus, anno Domini MCXXXIX. magna pars Cremonensium a Mediolanensibus apud Cremam capta carceralibus est vinculis mancipata.

CXL. De obsidione Tyburti et captione.

Anno Domini MCXLII. Innocentius cum Romanis Tyburtum obsedit, de quibus multi capti sunt et occisi. Sed demum reversi Romani victoria triumpharunt.

CXLI. De pestilentia erucarum et fame et de peregrinatione Conradi ad Terram Sanctam.

Anno Domini MCXLVI. pestis erucarum invaluit super terram et bona terre consumpsit; unde sequenti anno fames nonnullos maceravit egentes; et tamen eodem anno MCXLVII. rex Conradus, celo Dei accensus, insignitus crucis munimine transmeavit, et cum eo pariter Lodoicus rex Galliarum et comes Provincialis. Et tunc Manuel, qui Calloiani patri successerat, [postquam] apud Constantinopolim pertransierunt, licet Conradi neptem haberet uxorem, eos tamen prodidit, faciens per loca deserta et inaquosa deduci; ubi maxima parte fame gladioque perempta, Satelliam vix reliquie pervenerunt; que cum navigio Ptolomaide applicuissent, sanctuariis salutatis, una cum rege Balduino, Fulconis primogenito, qui patri successerat in regno, Templotis pariter et

Hospitaliotis contra Damascum animantur, acies et dirigunt et proficiscuntur. Rege itaque Balduino cum Templariis et Hospitalariis in iardinis Damasci castrametato, adveniens magnanimis et fortis Conradus, cognita fontibus obturatis aquarum penuria, videns in multitudinem, que civitatem exierat, Saracenorum invehitur. Cumque pedestri in propria persona duos ferocissimos singulari certamine[Page 640]

occidisset, ceteris terga vertentibus, ante portam Damasci, fluminis in ripa castrametatus est. Potuit ea tempestate civitas illa facillime capi, si venatores suis laqueis non illaqueasset iniquitas. Nam rex Balduinus et predicti college aut invidia stimulat aut peccunia corrupti, socios falsos defraudantes, reddierunt, merito et ipsi falsa peccunia defraudati. In hoc exercitu Fredericus Frederici ducis Suevorum, fratris regis, filius pre cunctis extitit strenuus et gloriosus; quod fuit demum regni occasio adipiscendi.

CXLII. De imperatore Frederico primo, et de captione Medexane.

Anno Domini MCLII. Fredericus imperator primus regnavit apud Romanos an. XXXVII.

Qui fuit miles strenuus et magnanimis, mittis et affabilis, illiteratus, sed morali experientia doctus, quia

mores hominum multorum vidit et urbes.

Cuius temporibus multa et varia sequentia pervenerunt. Nam eodem anno, scilicet MCLII, Medexana capta fuit a Cremonensibus et Placentinis et penitus destructa.

CXLIII. De captione Ascalone a Cristianis.

Anno Domini MCLIII. Ascalona capta est a Christianis, eam Balduino rege, qui quasi alter extitit Machabeus, viriliter expugnante. Cui tempore procedente, pro dolor!

viam universe carnis ingresso et sobolem non relinquenti cum frater Aimericus succedere debuisset, dilatum est, eo quod propter incestas nuptias excommunicatum non decebat inungi. Igitur afine uxore dimissa, ex qua tamen genuit filium et filiam, Balduinum videlicet et Sibillam, coronatur in regem, et aliam ducens uxorem, genuit ex ea filiam nomine Ysabellam. Hic Aimericus Egyptios subiugavit, Damascenos sepe contrivit. Cui demum Balduinus successit in regnum.

Qui licet ab infancia lepra percussus, fines tamen regni Ierosolimitani viriliter conservavit et Saladinum Christi fidei inimicum apud montem Giçardum mirabiliter contrivit, et dum vixit, magnifice triumphavit. Sed dum hec felicia in Ierosolimitano regno per multorum sequentium curricula fiunt, et multa infelicia, odibilia Deo et ab hominibus improbanda in Ytalico imperio committuntur.

CXLIII. De imperatore Frederico primo, qui in Ytaliam venit.

Anno Domini MCLIII. rex Fredericus primo in Ytaliam venit, qui civitatem cepit Astensem, turres et muros destruens civitatis. Eodem anno fuit dominus Piçus de Manfredis potestas Regii.

CXLV. De destructione Terdone et Spoleti.

Anno Domini MCLV. Anastasius papa quartus creatur imperante Frederico primo.

Arnaldus hereticus auctoritate imperatoris Frederici conburitur. Iste Fredericus Terdonam et Spoletum funditus destruxit et cepit; deinde Romam festinans multos subiugavit heriles. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam predicti pontificis, et omnia invenies.[Page 641]

CXLVI. De unctione imperatoris Frederici.

Anno Domini MCLVI. Adrianus papa creatur quartus, qui regem Fredericum iniunxit et imperiali diademate coronavit. Igitur prius fuerunt reges, postea fiebant imperatores. Imperator autem Fredericus Romanos impugnavit nolentes ei fidelitatem facere et vix debitum exhibere. In quorum acrimoniam et imperialem ultionem Tyburtinum censuit municipium restaurari. Post hec in Alamaniam cum triumpho rediit imperiali; et incoronatus fuit a papa predicto Adriano, et hospitatus est super flumen Reni. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam predicti pape.

CXLVII. De destructione castris Papiensium et de rehedificatione Terdone.

Anno Domini MCLVII. Mediolanenses castrum Papiensium nomine Vegevalum destruxerunt, Terdonam civitatem rehedificaverunt.

CXLVIII. De obsidione Brixie et Mediolani et de fundatione civitatis Laudi.

Anno Domini MCLVIII. Imperator Fredericus in Ytaliam rediens Brixenses et Mediolanenses impugnavit, Laudum civitatem fundavit, Mediolanum obsedit; sed federe facto discessit et sibi a Longobardis regalibus designatis pacem cum Lonbardis composuit et leges in Roncalibus condidit.

CXLVIII. De destructione turrium Placentinorum et de obsidione Cremone.

Anno Domini MCLVIII. Turres Placentinorum et munimina iusum destruxit. Eodem anno Cremam cum Cremonensibus obsedit et VI. Kal. Febr. dissipavit. His temporibus Alexander papa tercius creatur; qui sub contempnitione fuit electus cum Octaviano, qui cognominatus est Victor; quo scismatis in errore defuncto Guido de Crema, Pascalis agnominatus, accessit; cui similiter in errore defuncto et Iohannes de Struma, Calixtus agnominatus, in scismate fuit similiter substitutus. Hos tres heresiarchas imperator manutenuit, per XVIII an. in ecclesia scisma tem stetit; et quia dignum est, ut *qui in sordibus est sordescat aduc*, medio tempore multa mala intulit, multa queque perpessus est. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam dicti pontificis, et omnia invenies.

CL. De obsidione castris Carcani.

Nam anno Domini MCLX. cum Mediolanensibus apud Carcanum pugnavit, et utrisque fuit

adversa fortuna.

CLI. De obsidione et destructione civitatis Mediolani et de

quatuor burgis et de potestatibus civitatum.

Anno Domini MCLXI. Imperator Fredericus Mediolanum cepit et destruxit in quatuor,

burgis hinc paciens incolatum; deinde in civitatibus pro sua voluntate in omnibus civitatibus

Lombardie constituit potestates. His ita victoriose peractis in Alamaniam rediit imperator victoriis

gloriosus; tempore procedente Romanis Tusculanum impugnantibus, et cancellariis eum *in fortitudinis*[Page 642]

brachio defendentibus, cum Romanorum multa milia occidissent. Infra quod tempus Theothonici,

qui apud Tusculanum pro imperatore morabantur, Rome apud Montem Portum invadunt, et tot a

nona usque ad vespervas occiderunt, ut numquam ex Romanis tot milia sint occisi, licet tempore Anibalis

tot occisi sint, ut tres cophinos anullorum, quos de digittis procerum occisorum idem, id est

Anibalis, extrahi fecit, et Cartaginem destinavit. Quorum multi apud Sanctum Stephanum sepulti

sunt, et habent hoc epitaphium:

Mille decem decies et sex decies quoque seni.

CLII. De adventu imperatoris.

Anno Domini M. centum LXIII. Festinus imperator venit ad Urbem et Pascalem heresiarcham

apud Sanctum Petrum in sedem apostolicam intrinçavit. Etiamne cum Romani sancti

Petri ecclesias incastellassent, non perferens pacienter, astitit, prophanando cunversit; propterrea

nutu Dei, qui nullum malum preterit impunitum, omnes penes suos mortis pestilentia perdidit;

sed contra eum.

CLIII. De rehedificatione civitatis Mediolani.

Anno Domini MCLXIII. civitates Ytalie conspiraverunt Mediolanum rehedificantes; pro

dolor! etiam illa non fuit huius ex eis coniurationis, quam in archisummo constituerunt aliarum.

In se vertit manum, cum pestiferum sibi malleum proprio malle reincludit. Sed ultione divina

plamatus malleus adversus plastem iam iam improvisus hostis ferit, quem venerandum

involucris pictor plurimum lactabat amicam. Redeuntem igitur imperatorem, itinere per

planiciem intercluso, per aruta et ima montium transire oportuit, quo usque ad Alamanica regna

pervenit.

CLIII. De Manuele imperatore.

Eodem anno imperator Manuel Constantinopolitanus maximam Venetorum multitudinem

per totam Greciam dispersorum in unius diei spacia cepit, si aves ab asconso venatorio laqueo

capiuntur, eo quod inter ceteros Latinos in imperatoris gratiam a constitutos insultum çelo invidie

fecerunt, et plagis affectos reliquerat semivivos. Quocirca Veneti cum multitudine magna vivorum

et centum galeis Romanie insulas intrantes quasdam ceperunt. Sed apud Chio yrmantes peste fere

omnes mortui sunt. Qui autem superstites redierunt, ducem proprium occiderunt.

CLV. De edificatione civitatis Alexandrie.

Anno Domini MCLXVIII, ut adimpleretur quod in proverbii dicitur: Non erit illa, cui

casibus accidit una, Lombardi contra imperatorem coloniam, id est novam colonorum habitationem,

facientes eam ab Alexandro papa Alexandriam vocaverunt; alii Civitatem-novam, Papienses vero Paleam

usque in hodiernum diem appellant. Eodem quoque anno Romani vires resumentes Albanum expugnaverunt

et expoliantes bonis omnibus incenderunt.

CLVI. De obsidione Anchone.

Anno Domini MCLXXII. Christianus archicancelarius, qui erat archiepiscopus Magontinus,

Anchonam cum Venetis obsedit et in tantum obsessos artavit, ut inmundas carnes et coria condita[Page 643]

ceteraque illicita vel inmundas comederent, et capud asini centum quadraginta denarios vendere;

tamen et tam invicti viriliter restiterunt, et refocilatos a Manuele Constantinopolitano peccunie

thesauris de manibus persecutoris liberavit eos Dominus.

CLVII. De imperatore Frederico et introitu, quam fecit in Ytaliam.

Anno Domini MCLXXIII. rediens imperator in Ytaliam Secusiam destruxit, Paleam obsedit,

nec messuit nec quicquam utile in ocrea reportavit. Eodem tempore predicti pape et

predicti imperatoris milites Lombardie equitaverunt in servicio predicti imperatoris

Frederici primi Placenciam et Tortonom. Et hoc fuit in MCLXIII.

CLVIII. De victoria, quam habuit imperator Fredericus in Ytaliam.

Anno Domini MCLXXV. Cum Lombardi contra imperatorem apud Casteçium congregati

fuissent, eos redditis gladiis subiugavit et in dedictione imperio digna recepit. Circa hec tempora

victoriis gloriosis magnificus, quamvis leprosus, Balduinus rex Ierosolimitanus Guilielmo primogenito

marchionis Guilielmi de Monte-ferato filio sororem suam tradidit in uxorem. Erat enim specie

decorus, vir militaris, miles strenuus, virtutibus armatus, viribus approbatus. Cui cum rex infirmus

et elefanciosus coronam vellet imponere, Guilielmus renuit, Iopensem tenens iure successorio comitatum.

Sed in custodia regnum tenuit universum, et filium genuit elegantem nomine Balduinum. Qui

avunculo rege patreque defunctis in regem postmodum coronatus est, licet etate minor; qui in tutela

fuit Templariorum, ad regni tutelam Raymundus comes Tripolitanus a baronibus vocatus est.

CVLIII. De victoria Longobardorum de exercitu imperatoris.

Anno Domini MCLXXVI. Apud Lagnianum dimicans exercitus imperatoris a Lombardis vincitur.

O rota fortune, que nunc humiliat, nunc exaltat! Imo non fortuna, sed Dominus est, qui

mortificat et vivificat et deducit ad inferos et reducit. Dominus pauperem facit et ditat et humiliat et

sublimat.

CLX. De humiliatione imperatoris Frederici.

Anno Domini MCLXXVII. videns imperator, *quia non in fortitudine sua roborabitur vir*, videns,

quia Deus exaltat humiles et deponit potentes, considerans, quod ecclesiam suam fundavit supra firmam

petram, et porte inferni non prevalebunt adversus eam, humiliavit se sub potenti manu Dei et pacem

conposuit apud Venecias cum Alexandro pontifice; et cum segregatus fuisset a gremio matris ecclesie,

reconciliatus est ecclesie universalis. Ubi cum Lombardis ad sex annos et cum rege Syculo ad

XV annos treugum fecit. Et tunc fames in Ytalia fuit; quo anno Christiani cum Saracenis ultra mare pugnaverunt et obtinuerunt, quia septem milia Christianorum triginta duo milia disconfecerunt Saracenorum. Imperator igitur in Alamaniam rediit, et apostolicus Romam adiit. Circa tempora ista Constantinopolitanus imperator marchioni Guilielmo de Monte-ferato mandavit, ut unum de filiis suis Constantinopolim mitteret. Cui filiam in matrimonio copularet; tunc temporis Conradus et Bonifacius uxores habebant, Fredericus clericali cingulo militabat, quem postmodum fuit Galbensis episcopus, magnanimoem effecit pro sapientia generis, quem ordo exigeret episcopalis; misit ergo Constantinopolim etate minorem, adulescentem specie decorum et aspectu venustum; cui Manuel filiam suam Kyrariam in uxorem tradidit, eumque regem Thesalonice diademate coronatur.[Page 644]

CLXI. De Manuele et Alexio.

Anno Domini MCLXXXI. Lucius papa tercius creatur; qui pro Tusculano Romanos acriter in pugnavit; successit Manueli Constantinopolitano puer Alexius, filius eius, quem post Almaton de principis filia genuit Anochen. Hinc, cum duobus regnaverit annis, occidit Andronicus et regnavit tribus annis; qui quoque iniciata iniquitate et imperatricem, matrem pueri, et Rainerium imperatoris generum cum uxore occidit. Denique multos Grecos nobiles interfecit, sed et plurimos excecavit.

CLXII. De rehedificatione Creme et de terremotu.

Anno Domini MCLXXXV. Imperator in Ytaliā veniens Cremam in odium Cremonensium rehedificavit. Et eodem anno Urbanus papa tercius creatur. Eodem anno terremotus non modicus fuit in Ytalia; et exercitus Guilielmi regis Syculi contra nequiciam Andronici se armavit et Duratium et Thesalonicum cepit. Sed recepti capti sunt vel redierunt confusi. Et eodem anno nuptie regis Henrici et Constantie Rogeri condam Siculi regis filie Mediolani celebrate fuerunt. Et si vis aliud invenire, recure ad cronicam predicti pontificis, et omnia invenies.

CLXIII. De edificatione ecclesie sancti Nicholai et aliis gestis.

Anno Domini M. centum LXXXVI. de mense Octubris edificata fuit ecclesia sancti Nicholai de Regio per abbatissam Felicitatem de monasterio de Fontanellis; et dedit et tradidit casamentum dicte ecclesie domnus Petrus Montonum et designavit medietatem dicti casamenti pro ecclesia facienda pro anima sua et suorum defunctorum, et aliam medietatem habuit per contracambium a dicta abbatissa, et presente domno Albrico episcopo. Eodem anno imperator Fredericus quoddam castrum Cremonensium, quod Manfredi nomine vocabatur, omnino destruxit. Eodem anno Andronicum ignominiosa morte Ysachius interfecit. Qui regni obtinuit principatum et sororem suam Herinem Conrado sepedicti marchionis filio in matrimonio copulavit. Qui imperatoris et imperialis urbis Vrana impugnatori capitur monomachus amputavit et ab hoste illo Greciam liberavit. Sed tamen invidiam et odium multorum incurrit; quocirca, ut Grecorum versucias evitaret, navem ascendens sepulchrum Domini visitare proposuit.

CLXIII. De captione Ierusalem a Saladino.

Anno Domini MCLXXXVII. Ierusalem a Saladino in mense Iulio capta est, et terra Domini ab infidelibus occupata. Causa huius invasionis fuit iniquitas Christianorum. Cum enim inter Saladinum et Ierosolimitanum regem pax firmata fuisset, eam Christiani iussu Rainaldi principis Montis-regalis et domini vallis Hebron camuanus Saracenorum capientes nequiter violarunt. Alia causa discordie fuit regis Guidonis et Raimundi comitis Tripolitanus. Causa vero discordie fuit invidia vel indignatio, quia Sibilla regina defuncto marito Guidoni Pictaviensi nupserat et defuncto filio coronam dederat peregrino preter ipsius comitis assensum et aliorum baronum; modus occupationis hic fuit: Saladinus terram ingrediens primo Tabariam vel Tyberiadem obsedit. Rex Guido in Marscalia castrametatur. Audi presagium vicine cladis indicativum: cum ea nocte Eraclio patriarchae sub temtorio in matutinis lectio legeretur, locus occurrit de archa federis, que olim capta fuit a Phylisteis; mane facto pugnavit. Comes Tripolitanus aufugit. Rex et sancta crux et sepe dictus marchio Guilielmus senior de Monte-ferato, qui causa peregrinationis et pro nepotis custodia Terram Sanctam adierat, ceterique barones unanimiter et populus capiuntur. Christianorum acies superantur; deinde Tabaria capitur.[Page 645]

Raynaldus predictus, actor sceleris, Saladini decollatur. Sed et multi alii capite detruncantur. Ad hec et Achon, Sydon et Beritus et Biblium capiuntur. Interrea nutu Dei marchio de Monte-ferato Conradus a Constantinopolitani sepulchrum Domini visitaturus advenit, et cognoscens Achon ab infidelibus occupatum secundo vento apud Tyrum applicuit; quem cives velut acephali gratanter excipiunt, se et civitatem eius moderamini supponentes. Saladinus itaque de Berito Tyrum accedens marchionem Guilielmum, Conradi patrem, quem bello ceperat, secum adduxit, ut pro redemptione patris redditionem filii patrem haberet et urbis; et per patrem filio significavit, ut pro ipsius et aliorum quorundam liberatione redderet civitatem. Cui Conradus respondit, quod nec unum lapidem civitatis; apropians Saladinus minatus est patrem spiculis tansfigendum, et Conradus se primum sagitam in patrem missurum. O felix impietas, que pro Christianorum salute patrem telis barbarorum expositum, filiali obmissa reverencia, se iaculat transfigendum! Sed o memora pia impietas, que amorem patris amorem Dei iudicat preferendum! sed eiusdem patris hortatu patrem reputat contemptibilem et quasi senem nullo precio redimendum. Tyro itaque septem diebus obsessa rediit Saladinus Achonem. Indeque subiugatis Neapolim et Nazareth, Caypha, Cesarea Palestina, Iopem et Açoto, Gaçam simul et Ascalonem aliisque locis Ierusalem agregatas, eam dedictione tributaria subiugavit; templum Domini, prius a Christianis irreverenter prophanatum, suo mores sanctificans et sanctificatum custodiens, sepulchrum autem Domini et in Bethleem preceptum custodie Surrianorum commisit; ad hec plus centum Christianorum milia subiugata a Tyrensibus ante portas conscendit fecitque illos per vim usque Tripolim perducere. Sed a Tripolitanis et Antiochenis expoliati penis et abiecti Armeniam intraverunt et usque ad Yconium dispersi fame, frigore et nuditate iusto Dei iudicio ad nichilum redacti sunt, luentes penas propter eam, quam polluerunt, Deum hereditatem. Et vide, quod per Erachium imperatorem crux fuit recuperata, sed sub Eraclio eodem fuit postea Ierusalem a Machumetinis invasa, et tunc sub patriarcha Eraclio rursus amissa; preterrea sub Urbano papa recuperata, nunc sub Urbano per eosdem barbaros est subiugata. Interrea magnanimus de Monteferato

Conradus, Tyrensis dominus, navali bello bis victoriam optinuerat, et galleas et naves nonnullas etiam de Anthonensi portu Pisanorum auxilio viriliter eductas et virilius optentas et victualia sufficienter civibus conquisierat. Sed et barbacanum forcius construxerat, expectans victoriosi impetus inimici. Igitur in mense in Novembrio Saladinus ad Tyri obsidionem secundam accessit. Sed nocte prevenienti murorum barbacane XL cubiti corruere; memores atque Tyrii Iericho plurimum timuerunt. Sed marchio non dormitans, viris ac mulieribus harenam et lapides in gremiis etiam asportantibus, die proxima per cementarios restauravit. Saladinus archatores premisit. Marchio Pisanos Achonem direxit, faciens mulieres in specie virorum muros ascendere, ut civitas populo videretur plena. Redierunt Pisani cum victoria, duas naves deducentes honustas. Inpugnavit itaque Saladinus urbem terra marique, presertim, cum crederet marchionem velle pariter et Pisanos aufugere, custodiam galleis indixit; ex quibus quinque captis, viris nobiles et piratis, armis et victualibus honestis, Saladinus dolore commotus terrestri bello barbacannam invadit, inpugnans eam petrariis et manganis, gatis, spiculis, sagittis et telis; cumque nimium marchio gravaretur, suis a navali victoria revocatis, terrestri prelio dimicavit, afficiens Saracenos multiplici dampno sine detrimento suorum. Videns itaque Saladinus, quod navali bello nequaquam proficeret, iussit VIII galleas deduci Berithum; quas Christiani viriliter prosequentes usque adeo coartarent, quod octo ex illis igne proprio Saladinus conburi fecit agresti, nona littore Sydoniensi confracta. Ergo stolio Saladini destructo cernere, quod in obsidione proficere non valeret, machinis universis conbustis, pridie Kal. Ianuarii ab osidione recessit, et in signum meroris caudam equo proprio, quem equitabat, fecit abscondi, ut sic suos ad iudicandum iniuriam incitaret. Eodem anno Gregorius papa VIII. apud Ferarium creatur. Hic fuit vir religiosissimus, cuius *mundus in maligno positus* sed fuit presentia dignus; et ideo, cum sedisset vix duobus mensibus, substulit eum Deus. Hic ortabatur plurimum Christianos crucis signum assumere et ad recuperandum civitatem[Page 646]

Ierusalem, crucem sanctam, Ierusalem et sepulchrum Domini festinare; et obiit Pisis. Imperator igitur victoriosus Ytaliam sibi et inter se pacatam relinquens in Alamaniam rediit, et celo Dei accensus cruci se et suos, ut Domino militaret, signaculo communivit; tunc temporis Gregorio defuncto Clemens in papatu successit; obiit Rome.

CLXV. De obsidione Aqoti.

Anno Domini MCLXXXVIII. cum Tyrenses lignatum vel herbulatum exire Saracenis occursantibus non auderent, fame valida coartari, iussu marchionis stolio navali, cui preerat Ugo Tyberiadis, Aqotum invadunt; ubi admirandum, qui regem Guidonem ceperat, capiunt, Christianos XL de carcere liberantes et quingentos captivos milites et sergentes cum inmensa pecunia Tyrum et copiam victualium adducunt; per huius admirandi conmutationem recuperavit marchio patrem; ad hec navis peregrinorum adventare ceperunt. Sed et Margaritus regis Syculorum admiratus Tyro applicuit cum stolio suo. Cuius cum Tyrios pyrate male tractarent, Tyrum exire compulsi Tripolim applicuerunt, ubi fame pereuntes penas pro meritis receperunt. Eodem anno Saladinus Tripolim accedens vidensque se nil proficere posse in Antiochenum principatum vertit habenas, subiciens Gabulum et Laudiciam, Saonam et Guardiam, Trapessacum et Guasconum et alia plura. Postea reversus in Galileam Belvedere castrum munitissimum, quod fines Iordanis custodiebat, vias Tyberiadis, Neapolim et Naçareth angustabat, per mediam compulit ad deditionem; ad hec duo comittit Guilielmi Syculi regis cum quingentis militibus et quinquaginta galeis Tyrum applicuerunt; advenerunt et alii multi siquidem peregrini cum venerabili G[erardo] archipresule Ravennate, Romane sedis legato. Cum his itaque marchio Saracenorum Sydonis multitudinem forti manu prostravit. Eodem anno comitem Henricum de Deti magnanimus imperator consuetudine imperiali ad Saladinum direxit, monens et monitans, ut terram desereret, quam invaserat, Iesu Christi; mos enim est imperii, ut inimicis bellum indicat, quia nullum occulte bello consuevit invadere; nos autem rogatu civium nostrorum in Theothonicam vivimus, ut ab imperatore castrum Manfredi rehedificandi licentiam impetraremus. Sed spe cassata redeuntes illo anno Castrum-Leonis inchoavimus.

CLXVI. De peregrinatione Ubaldi archiepiscopi cum aliis peregrinis ultra mare.

Anno Domini MCLXXXIX. Ubaldu Pisanus archiepiscopus, similiter apostolice sedis legatus, et de omni occidentali provincia peregrini Tyrum applicuerunt; et cum eos Tyrus capere non valeret, inter diversos diversa fuere, usque adeo quod de introitu regis Guidonis a Tripoli venientis in urbem et prohibitione marchionis sedicio peperit scandalum in civile bellum. Inter peregrinorum multiplicia vota Achon eligitur obsidenda. Invadunt igitur eam in mense Augusti et obsident. Sed et ipsi a Saladino similiter obsidentur, adeo impugnantur, quod nulla erat eis spes evadendi. Sed ex insperato XL exnacte applicuerunt et preter eos innumeri milites et barones. Saladinus itaque Christianos die noctuque sine intermissione affligebat; propterea marchio et archiepiscopus Ravenas, qui nec ad obsidionem venerant nec adveniendum approbaverant, ab obsessis suppliciter per Nenorensem episcopum et Torringe langravium, ut ad eorum succursum veniant, invitantur. Venerunt, sed invito marchione, qui Turchorum versucias cognoscebat. Francigene de se presumentes ad pugnam approbant exeundum; pugnatur, et Templarii et peregrinorum circiter VII milia prosternuntur; sequenti die Saladinus fecit corpora eviscerari et in fluvium ad dolem exagerandum et ad corruptionem aeris et aque demergi. Post hec Lombardi marchiones et comites et plures quingentis milites applicuerunt. Inter quos buça Cremonensis, que Cremona fuit fabricata et ultra mare pro Terre Sancte subventionem personis et rebus missa honorata; ad hec peregrini consilia inierunt, ut Saracenis prohiberent civitatis ingressum pariter et egressum, qui libere a monte Muscardo patebat; et cum non invenirentur qui[Page 647]

vellent illic castrametari, marchio ad omnia promptus et audax ibi castrametatus est. Ideoque et a Saladino acius impugnatus. Scopulos itaque iussit incidi marinos, ut portus ibi fieret vassa Tyrensia recepturus, qui usque in hodiernum diem portus dicitur Marchionis; muniunt se peregrini fossatis ab intus in circuitu et foris effossis, ut in medio constituti se ab ulterutrus facilius tuerentur incursibus. Duces etiam sive rectores, ut omnis amoveretur controversia, prefecerunt, ut Francigene suis et qui de imperio imperialibus obedirent. Et ecce XLV galee, que veniunt ex Egypto, in festo sancti Stephani in portu applicant Achonensi; stupefacti ergo peregrini terra marive conclusi elegerunt potius pugnando

mori quam sine certamine subiugari. Quos marchio *ad prelia doctus* exanimos factos sermonibus animat, universis asserens, quod galeas Saracenorum penitus conculcaret; adiit itaque Tyrum in modico galeone, quamvis illa nocte centies ad mortem cruciatu ventorum afflicto. Cum itaque Tyrus necessitates exercitus aperuisset et eos ad armandum galeas animasset, dixerunt: Parati sumus tecum vivere et in mortem ire. Et ecce marchio in exitu Februarii cum stolio viriliter in portu extitit Achonensi, exonerans Saracenorum vasa victualibus onusta pacifice eorundem; ad hec, cum civitas castellis capienda proculdubio speraretur, econtrario castella igne a Saracenis conburuntur agresti. Sed et due Saracenorum galee navali certamine capiuntur.

CLXVII. De imperatore Frederico primo et ordinatione imperii et de divisione hereditatis, quam fecit inter filios, et de transitu peregrinationis, quam fecit ultramarinis partibus.

Eodem anno felix imperator quinque habens filios, Henricum inter ceteros primogenitum, quem fecit cesarem, Fredericum Suevorum ducem, Ottonem comitem, Conradum et Philippum, ducem theletam Christo, sed ceteris cum regno et regalibus cesari commendavit, et occidentale relinquens imperium paccatissimum et ordinatum, partes his comittibus et hoc ordine et hoc, ut scribimus, omne adiit orientis. In festo sancti Georgii arripuit iter; et exiens de Alamania, a Ratispona descendit navigio ad partes Austrie, exercitu per terram cum equis et curribus comittante; deinde per Pannoniam, hospitali pro pauperibus infirmis instituto, et hospitalariis et necessariis assignatis, introivit Ungariam, ubi dicitur habuisse nonaginta milia pugnatorum, in quibus erant XII milia militum. Et a Bella Ungaro apud Strigonium honorifice receptus, Ungariam pertransiit; premisitque ad imperatorem Ysachium Constantinopolitanum episcopum Monasteriensem et comitem Robertum de Nashu; qui eos detinuit, et eos exercitus ad introitum Bulgarie, ut transitum impedirent, premisit. Erat autem ibi nemus itineris quatuor dierum, cuius viam artissimam preses Burgarie dissipavit, et in exitu nemoris munitionem faciens preparavit se cum exercitibus cesarem impugnare. Sed nemore magno cum labore et difficultate pertransito dux Suevorum, qui exercitu precedebat, munitionem destruxit et magnam illorum multitudinem interfecit; cum Nisam civitatem appropinquaret, comites Servie gratanter subici affectarem, sed serenissimus imperator pacem affectans eos suscipere recusavit. Deinde nono Kal. Septemb. civitatem que Philippis dicitur impugnantes eam ceperunt; est autem hec civitas metropolis Macedone; alius nobis innotuit, quod non Philippus, sed Philippolimus adierunt. Ibi certificatus est imperator de nuntiorum captione suorum. Ibi misit litteras imperator Ysachius imperatori fastu et arogantia plenas, dicens: *Ysachius a Deo constitutus imperator sanctissimus, excellentissimus, potentissimus*, sublimis, Romanorum moderator augustus, heres corone Magni Constantini, dilecto fratri, imperii *sui maximo principi Alamanie gratiam suam et fraternam et puram dilectionem*; tunc erat continentia litterarum indignatio de presumptuoso imperatoris adventu in Greciam; deinde Grecus imperator maximam Grecorum et Turclorum exercitum contra Romanum imperatorem direxit; contra quos Suevorum dux, filius eius, acriter dimicans, eos superavit et fugavit et intra quedam menia se recipientes maxima vi cepit et omnes occidit; duodecim vero Turchos in quadam munitione, ubi se receperunt, viriliter resistentes igne cremavit. Postmodum Andrinopolim venientes, que civitas a virilitate vel a fundatore nomen accepit, eam optinuerunt; sicque factum est, quod quedam oppida manu forti ceperunt et quasdam civitates in redictione a receperunt, ut Remothicon, Archadiopolin et

confines. Interrea Kalopetrus dominus Blacorum ab imperatore nostro sibi diadema rogavit inponi. Cui serenissimus imperator amicabile dedit responsum. Ad hec Grecis imperator ad Romanum imperatorem misit honorabiles nuncios, cancellarios et alios numero sedecim, promittens secum transitum et indempnem. Ad hec magnanimus imperator presentibus nunciis Grecum redarguit, quod tam arroganter scripserat ei, asserens se suosque predecessores a quadrigentis annis Romanum tenuisse imperium; unde non se Romanorum, sed Romani eorum appellare debuit imperatorem. Soldani quoque nuncii et Melich filii eius Andrinopolin advenierunt, verba quidem pacifica, sed dolo plena portantes; licet igitur invictissimus imperator in vindictam predictorum, que nequiter Grecus miserati imperator, vellet Constantinopolin impugnare, victus tamen consilio suadentium principum, ut ad Terram Sanctam ad Christianorum festinaret auxilium, obsides peciit et obtinuit; qui eum Galipolim perducentes transitum navigio procuraverunt. Transivit igitur exercitus quinque diebus, dux prior, pater posterior; cumque pertransissent, post multos labores et ardua multa urbem Tyachitum et urbem Licie, scilicet Egeam, ubi Comas et Damianus fuere martyrio coronati, deinde Sardis pervenerunt. Venerunt et postea Phyladelphym. Dux autem Phyladelfie forum negans se ad pugnandum armavit. Sed demum videns non posse resistere, promisit forum et imperatori cum paucis concessit civitatis introitum; postmodum, dum propter caristiam contemptio fit inter Grecos et Theonicos, bellum inivit, et absque imperatoris voluntate per duos dies et noctes continuo decertatur; demum victi Greci se in civitatis munitionibus recipientes pactum inierunt et forum tollerabile concesserunt, commercia cum funibus in sportis porrigentes et eodem modo precio recipientes. Ad hec vero imperator Phyladelfiniam civitatem exiret, dux ei nuncium pro ducatu concessit, qui exercitum per devia et invia, montana et nemorosa deduxit, ubi victualia per duos die nullatenus invenerunt; pertransitur quoque Ierapolim civitatem, ubi passus est beatus Philippus; in exitu vero nemoris quidam Greci et Armeni forum eis pro posse pacifice tribuerunt. Ad hec Turchomanni de Becia, qui et Debeduini vocantur, homines agrestes, qui nullius domantur imperio, qui non in menibus vel municipiis, sed morantur agris, infinitum et innumerabilem exercitum, plus quam centum milia, congregantes exercitum Christianum die noctuque per quatuor ebdomadas impugnaverunt, ita quod Christianus exercitus semper incedebat armatus. Sed tamen eorum multitudinem interfecit cum quodam amirado, milicie sue magistro. Restans vero dominus illorum cum magno exercitu in strictura moncium transitum prohibebat dicens, quod non transiret, nisi daret ei centum somarios auro et argento honoratos. Imperator autem respondit se libenter dare, sed non nisi menolatum unum. Interim nuncii soldani, qui fraudulenter ducebant eum, aiebant, quod cito intraret terram soldani, in qua gens illa ulterius sibi non noceret; tunc, quia Deus non dimittit sperantes in se, quidam admiratus celesti gratia inspiratus, aut quia forte in nostrorum manus inciderat, metu mortis imperatorem adiit, fraudem detexit et prelium mane futurum predixit; eumque planiciem, in qua tradi ceperat, devitare, eum per montana deduxit.

Occurritur in montanis, hinc inde pugnatur. Sed cum relictis sarcinis et alimentis dux viriliter descendisset, descendit imperator; victoriose hostes impugnant et Dei superant inimicos. In qua pugna dux petra percussus duos dentes amisit; abhinc ductores a soldano delegati fugerent timentes, ne detecte fraudis imperator faceret ultionem. Christianus vero exercitus confixus in Domino, qui deduxit Israel per desertum, XV diebus per quandam planiciem progressus carnes comedebat equinas. Agrestes vero Turchi, de quibus prediximus, eos fame defecisse penitus existimantes, rursus ad bellum insurgunt prope civitatem Phylomenam magna manu militum peditumve caterva, quos invictissimus imperator devicit. Et cum maxima multitudo se in quadam clausura coacta recepisset, conbuserunt Theotonicus universos; et extunc agrestes illi Turchomani non fuerunt exercitum ulterius persecuti. Sed defecerunt a facie imperatoris sicut *pulvis, quem proicit ventus a facie terre*. [Page 649]

CLXVIII. De Melichino soldani filio.

Anno Domini MCXC. Melichinus soldani filius venit obviam cum exercitu quingentorum milium equorum et ad imperatorem misit nuncios dicens: Revertere! Quid enim facere putas, cum habeam plura vexilla quam tu milites? Et cum pervenisset imperator ad quendam pontem, Turchi fuerunt ante et retro. Sed dux anteriores devicit, et imperator posteriores in parte maxima interfecit; et sic pontem exercitus pertransiit universus; deinde maxima et infinita multitudo Turchorum exercitus Christianorum ex omni parte circuevit, ita quod eundo per quatuor ebdomadas die noctuque acriter impugnabant, et Christianis preter carnes equinas victualia deficiebant; cumque non invenissent aquam per diem et noctem, Turcho quodam capto docente aquam salsam sitibundi et famelici reppererunt. Altera vero die castrametati sunt in viridii Yconii civitatis Ysaurie; unde soldanus imperator mandavit querens, si forum tribueret annon. Soldanus respondit se dacturum. Sed nimis carum offerrent, Christiani se ad pugnandum armarunt. Et cum sexta feria quatuor temporum inmineret, Gothfredus Herbipolensis episcopus asseverans se vidisse beatum Georgium contra hostes pro Christianis fortiter propugnantem, inclita penitencia et carni edendarum data licentia, processerunt ad bellum. Et dux quidem civitatem expugnantem eam viriliter obtinuit et ferro omnes rebelles occidit. Imperator quoque in filium soldani post terga pugnantes victrices aquilas dirigens predicta milia Turchorum et Turchomannorum exterminavit et innumerabilem ex eis multitudinem interfecit. Urbem capta potenter soldanus se in munitionem fortissimam, que erat in urbe, recipiens misit ad imperatorem, dicens se velle forum dare et quicquid vellet recipere. Imperator obsides peciit et propter fetorem cadaverum erant enim domus et vie cadaveribus plene ab urbe descendens in pomeriis castrametatus est. Dedit itaque soldanus obsides, dedit et forum victualium equorum. Sed quorum equos pernimum caros vendere satagebant, equum pro centum marchis videlicet offerrentes, a Theothonicis contra dolum dolo compensantibus pro marcha fertonem recipiebant; quod audiens soldanus misit ad imperatorem conquerens, quod sui precio deciperentur; cui respondit imperator: Si bonum forum darent, bonam marcham acciperent. Constituti sunt igitur hinc inde iusticiarii taxatores. Ad hec procedens Christianus exercitus a quibusdam agrestibus Turchomannis, qui non sunt de potestate soldani, molestias multas pertulit, quousque ad Laurendam civitatem, que dividit Armeniam a Lychania, et ad Armenie montana pervenit. Ubi noctis conticinio auditus ex inproviso armorum strepitus et tumultus; qui cum nullus fuisset, inde coniecturatum est vicini augurium infortunii. In montibus autem Armenie Grecos et Armenos invenit forum alacriter exhibentes. Cum ad aures Saladini hec victorie pervenissent, expavit, et die sancto pentecostes Saladinus cum tanta suorum multitudine, montes et colles et planiciem operiente, quanta nusquam simul creditur apparuisse, Christianos potenter invasit, sperans omnia temptoria usurpare et Christianos miseros captivare; sed evanuit cogitacio eius, quia Christiani viriliter resistentes ei lesionem magnam per balistas non modicam intulerunt; cedens itaque Saladinus magnam exercitus partem ad resistendum imperatori transmisit. Sed heu! paucis diebus elapsis et mors imperatoris innotuit, et rumor superveniens de morte Syculi regis exercitum Christianum plurimum conturbavit. De montibus imperator descendens Salephy flumen reperit, per cuius ripam duobus diebus progressus.

CLXVIII. De morte imperatoris Frederici primi.

Tercia luce pausavit in locis amenis; et cum esset estus magnus valde, imperator descendit in flumen cum duobus militibus se cupiens balneare. Cumque natate cepisset, impingens in scopulum natandi vires amisit; a militibus igitur apprehensus ad ripam semivivus ducitur, accepta penitencia et corpore Domini, eo die mortuus est; pro dolor! humidum suffocat elementum, quem ignea bella vincere nequiverunt. Invitus divicia ferri, fluidi mollicie vincitur elementi. Adimpleta est eo die prophetia in turri circa flumen constructa Caldaicis litteris exarata, scilicet: *Melior hominibus et potencior omnibus in aquis Saleficis suffocabitur*; propter quam Manuel imperator Constantinopolitanus inde transiturus fecit inibi pontem edificari. Portantes igitur eum ad civitatem Selaphym aromatibus condierunt; et [Page 650]

duce super exercitu domino constituto, pervenerunt Tharsum Cilicie civitatem. Ubi imperatoris carnem condiderunt. Deinde Levoni de Montanis obviantes ab eo magnifice recepti et cum triumpho magno ad civitatem Mamistiam sunt deducti, ubi fluvius defluit, qui Geon ab incolis appellatur; cuius fons aut potius scaturigo XL dumtaxat tanta per singulos annos repletur piscium multitudine, quod ea die religiosi sufficienter reficiantur Armeni, pisces ulterius in XL non conmessuri. Ubi cum dux infirmaretur, visitavit eum karolicos Arminiensis. Quo proinde Antiochiam navigio perveniente, Christianus exercitus per Portellam, ubi Darius dicitur esse sepultus, et thesaurus Alexandri absconsus, deinde per quandam porte stricturam pervenit ad castrum quod Guasconum ab incolis nominatur; quod cum a Saladino detineretur, Christianus exercitus a sagittariis impeditus est; demum patriarcha et populus Antiochenus ducem et exercitum cum triumpho Antiochiam deduxerunt, et carnem imperatoris honorifice seppelierunt. Ubi de consilio principis et patriarche moram fecit, quousque marchionem de Monte-ferato ad se vocaret, qui tunc in Anchonensi erat obsidione; qua vocatione, baronum communicato consilio, Antiochiam se festinus adivit. In cuius absentia cum pedites exercitus Anchonensis a nullo refrenarentur, in festo sancti Iacobi vagantium plusquam octo Saracenorum impetu occiduntur; marchio vero transiens per Tyrum comitem Henricum de Campania tunc applicantem maximo suscepit honore; qui ad exercitum veniens dux est ab omnibus approbatus; transiens marchio

per Tripolim viduas, orphanos et nobiles auro et argento suffocavit egenos; deinde applicuit ad portum Sancti Symeonis, qui quoque Soldinus ab incolis appellatur. Iuxta quem est montanea Nigra, quam multitudo inhabitat heremitarum diversis linguis et moribus Deum laudantium. Unde patriarcha, principe et duce magno cum triumpho receptus, ad civitatem usque deductus, ingressus est. Cui se et exercitum dux omnino commisit, ei ut paternis asseverans se obedire velle precepit. Audiens Saladinus hec misit exercitum sub Rachahadino fratre et Mrahalino filio militantem, ut districtum occuparet Buriti. Quod dux et marchio percipientes, cum ab Antiochia usque Tripolim pervenissent, a Saracenis Et audocras et aliis multipliciter infestari, a Trapoly Tyrum navigio pervenerunt, ubi ossa imperatoris arche tumulo commendarunt. Et in Septembrio mense in campo Achonis Theothonici castrametati sunt; tuncque archiepiscopus Cantuariensis applicuit; deinde Christiani castra exeuntes dimicare exposuerunt, et Saladinum more Lombardorum vexillum in carocia deducentem usque Saphoream et Recortanam, ubi Achonis fluvius oritur, insecuti sunt, cum de loco ad eorum insecutionem castra mutaverit; postmodum ad campum illesi reversi sunt. Adveniente Novembrio mense valida fames Christianos invasit, ut carnes equinas carissimis emptas commerciis artarentur. Sicque per totam yemem fame, frigore, gladio macerantur. Tuncque Ysabella condam regis Aymerici filia, regni hereditatem, sorore defuncta, iure successorio petens, a Sighifredo Turonensi, cui nupsit, episcoporum sententia separata est; quam barones marchioni matrimonio copulantes, eum in regem et dominum elegerunt. Hic igitur, ut largus et magnanimus, et galeas in mari tenuit et exercitum frumento de ordeo refociliavit; adveniente XL navibus commerciis applicantibus, modius una die a centum bisanciis ad octo descendit, et in contiguo declinavit usque ad annum. CLXX. De Phylipo comite Flandie et de rege Francorum et duce Burgondie et comite de Niverte et comite de Baro et aliis gestis. Anno Domini MCXCI. Phylipus comes Flandie et postea rex Francorum et dux Burgundie, comes de Nivers et comes de Baro venerunt. Rex igitur ante turrin Maledictam castra regalia fixit et palacium lapideum fabricavit et Malivicinum rationabiliter appellatum, ut Maledictatum turris mala vicinitate palacii lapidum ictibus verum sui nominis sortiretur effectum. Mangana erigi, gattos et eletas apparari et propter ignem agrestem lamineis plumbeis operiri. Comitte vero Flandiarum[Page 651]

in brevi defuncto rex, a Frandensibus fidelitate accepta, turri Maledicte frequencius manganis maledixit et civitatem Acriam acrius impugnavit; nam instrumentis eius combustis omniibus ad iussum regis vehementer irati peregrini scalis appositis ascendunt muro, sed angustia caloris et fumi denique depelluntur. Albericus autem marescalcus regalis intra menia urbana descendens *sicut leo rugiens* seviebat et cum bipenni, que et acia nominatur, plurimos unius plures occidens et moriens occisus est. Cuius caput a Saracenis ad collegas mangano pro xaso trahicitur. Muro perforato duo Saraceni civitatem egressi postularunt in Christi nomine baptizari; qui renati fideles in operibus inventi sunt; mangana marchione preside reparantur; qui regi tradidit Tyrum, observans quod promiserat, se scilicet coronato primitus venienti de civitate omni facie redditurum. Rex autem suis hominibus communivit. Interrea Ricardus rex Anglorum sibi Cyprum insulam subiugavit, Ysachium, qui se imperatorem nominabat, capiens et immensas divicias et victualia et animalia deducens. Qui a Cypro pellago sulcans navem Saracenorum a Beritho proficiscentem et Achonem properantem invenit; in qua erant septinginti viri ad bella fortissimi cum sufficientia stipendiorum et omni genere armorum et igne agresti et serpentibus et cocodrillis et interrentioni nequiter deputatis. Hanc igitur cum viginti quatuor galleis, cum quibus in retroguardia suarum navium accedebat, impugnavit ter et quater cum magno detrimento suorum; post hec regis improperii et blandimentis, minis et premiis promissis armantur et navem impugnando perforant et submergunt, duobus e naufragio tantum superstibus reservatis; quorum unum, cum venisset in campum, ad Saladinum, alterum misit in urbem. Ad hec rex Francorum, licet rege Anglie dissentiente, pugnam indixit; pugnatur, et muri securi inciduntur, Saracenis Saladino amactantibus, ut in eorum succursum studeat accellerare. Adveniente nocte marchioni custodia denegatur; a quo Mostubus consensu regis Francie de colloquio data securitatem accepit; adveniente die coram regibus aliisque baronibus colloquium celebratur. In quo Mostubus civitatem reddere cum omnibus rebus, dummodo persone abire permetterentur illese, promisit. Christiani vero sanctam crucem, captivos omnes et regnum repetunt universum. Mostubus Saladinum asserit consulendum; obsidibus ergo datis consulitur; qui promisit crucem reddere pariter et Achonem, mille quingentos Christianos et centum milites et ducenta milia bigantiorum. Dum hec agerentur, rex Anglie murum aggreditur; per dedictionem civitas obtinetur quarto Idus Iulii anno Domini MCXCI; positisque a regibus in portis custodibus, solis Francigenis et Anglicis patebat ingressus, ceteris, sive de Romano imperio sive aliunde, licet per biennium laborassent, obprobriose reiectis. Nam intrare volentibus, colaphys et verberibus cedebantur. Sed et tredecim ex Polinis pede truncati sunt. Cum igitur posse quingenta milia hominum preter mulieres et parvulos et armorum multitudinem, que vix numerari poterant, et ampulas ignis agrestis et galeas cum salandris et galeonibus septuaginta et ceteras divicias, quarum non est numerus, reges in suis manibus habuissent, inter se omnia diviserunt. Iudicet ecclesia et secutura posteritas, si, que sanguine ceterorum et yemalibus fuerant partita laboribus, decuerit culmen regalis honoris ad suas manus omnino devolvere, quas non erubescabant vix tribus mensibus insudasse; non enim sibi victoriam, sed Domino ascribere debuerunt. Sed cum sibi ascribere presumpsissent, reminisci debuerant aliorum, quorum ossa campus sanctus incinerat, vel presens vita libera tollerabat; nam archiepiscopus Ravennas, langravius Torringie, Fredericus dux Suevorum et multi de imperio committes et barones in Domino mortui fuerunt, sed et universitatis defunctorum numerus, peste, fame, gladio pereuntium, est incertus; aut tantum dubium est, quod in obsidione ferme preter principes CC milia de hoc seculo migraverunt. Ad hec rex Francie conabatur marchionem in regem promovere, rex Anglie Guidonem restituere; demum interposita pactione Tyrus, Sydon et Baruth marchioni cum medietate Ascalonis et loppe iure successorio provenerunt, preterrea medietas Achonis et tocius regni acquisiti et aquirendi; alia Guidonis; sic tamen in vita alterius, quod neuter diademate uteretur. Post hec rex Francie asoldatis pro se quingentis militibus, et armis, que sibi obvenerant, Templo et Hospitali et marchioni distributis, repatriavit cum obprobrio tam inmenso, ubique in faciem aclamato: Vah, qui fugis et terram Domini derelinquis! Rex autem Anglie, cum

peccunia promissa non solveretur, captivos omnes contra fas et licitum interfecit qui debuerant potius servari et in servitutem redigi preter Monostobium et Carcosam et quosdam alios milites, quos pro peccunia relaxavit. Verumtamen Saladinus Christianis captivis malum pro malo non reddidit.[Page 652]

Rex Anglie exinde terra marique recuperat Caypham et Cesaream; et cum accessisset Aſotum, Iacobus de Avena occiditur; deinde loppem proficiscentes, in Rama, Lydda, Turone-militum et Berthenubilo yemantes, Ascalonem accedunt; et videntes muros diruptos fleverunt super illam, muros et turres in brevi rehedicantes. Interim inter regem Anglie et ducem Burgundie ceterosque barones Francie discordia vehemens orta est, eo quod vilipendit eos. Redeunt ergo Tyrum, progredientes ad marchionem, et cum eis quingenti electi milites, cum quibus Saracenorum casalia cursitandos plurimum proficiebat.

CLXXI. De incoronatione imperatoris Henrici.

Eodem anno, videlicet anno Domini MCXCI, Henricus Frederici primi filius regnavit apud Romanos an. VIII. Hunc Celestinus papa, qui Clementi successerat, unxit et imperiali diademate coronavit; et tunc imperator apostolico dedit Tusculanum, et apostolicus Romanis. Romani vero civitatem destruxerunt et Tusculanos excecantes et alias deformiter mutilantes. Indeque imperator cum augusta nomine Constancia, filia condam Rogerii Siculi regis et soror Guilielmi regis, in Apuliam descendit, ut regnum, quod iure successorio, fratre defuncto, debebatur, obtineret. Sed Tancredus iam substitutus apud Panormum fuerat consecratus. Cum itaque Salernum adierit imperatrix, eam Salernitani cives nequiter capientes Messanam ad Tancredum regem miserunt; qui eam in Panormitano palacio honestate augusta dignissima conservavit. Imperator vero Neapolim cum obsederit, pene suis omnibus pestilenti morte peremptis, spe sua propositove cassatus est.

CLXXII. De infortunio Cremonensium.

Eodem anno fuit infortunium, quod malamortha a Cremonensibus appellatur, eodem apud Civitatem Pergamensium castrum contra Brixienses cum Pergamensibus congregata, divino iudicio in se ruentes aut in flumine Olei precipitantes, multi quidem capti, multique mortui sunt. Sed captos rediens de Apulia imperator e carcere liberavit; et eisdem Cremonensibus Cremam concessit et privilegio confirmavit. Ad hec in Alamaniam rediit. Cui Tancredus augustam remisit.

CLXXIII. De rege Anglie et aliis gestis, que fuerunt suo tempore.

Anno Domini MCXCII. rex Anglie apud Ascalonem de reditu suo et regimine terre sollicitus ab universo quesivit exercitu, cui terram conmitteret conquistam securius et conquerendam; post vota diversa quidam namque Guidonem inunctum, quidam marchionem invictum, quidam comitem Campanie preferebant marchio eligitur et in facie exercitus approbatur. Igitur a rege citatur, ut properet regales insulas accepturus et sceptrum. Quarto Kal. Maii littere presentantur. Eodem die ab Asaxinis occiditur clamantibus: Non eris marchio, non eris rex! quorum unus combustus est, alius, cum decoriaretur, confessus est se a Sene domino suo transmissum hoc fecisse imperio regis Anglie; tertia die comitti Henrico illuc venienti uxor gravida copulavit invita. Redit festinus Achon, civitatem obtinuit et ingressum Guidoni prohibuit. Itaque rex Guidoni Cypricum tradidit regnum, viginti biſantiorum milibus emptum. Post hec lopem obsedit Saladinus, in qua patriarcha Rodulfus electus treguas optinuit a Saladino, quod, si usque ad biduum non haberet succursum, redderet municipium; et cum alium non haberet, se ipsum pro ovibus obsidem dedit; duobus diebus transactis rex navigio cum Pisanis applicuit et Saracenos castrum expugnantes viriliter exterminavit; cui equus a castilano paratur. Hunc solum militem pedites conmutantur et extra civitatem in Turchorum faciem castrametantem; stupent Turchi unius militis incursione fugati. Timuerunt plurimum Turchi, ne rex tam ferus invadere velit Egyptum. Quid igitur? utroque exercitu fugato, ad triennium tregue pro desideriis componuntur, Ascalone destruenda et a parte neutra possidenda. Sed in hoc rex peccavit, quia patriarcham obsidem conpeditum non liberavit; adeunt igitur Christiani sepulchrum et inveniunt ibi Ethyopem nudum in Christianorum ignominiam oblationum libamina colligentem. Rex autem sub[Page 653]

manu perfidi constitutum sepulchrum accedere noluit adoratum, sed festinavit ad reditum. Cum de morte marchionis suspectus haberetur, sub habitu ministri Templariorum et Hospitaliorum usque in Austriam, suis aliunde remissis, pervenit incolumis. Ubi dum gallinas assaret, deprehenditur, capitur et duci Austrie presentatur. Audiens igitur imperator regem Anglie servili habitu redeunte a duce Austrie captum, eum detinuit in custodia, eo quod contra eum presumpsisse quedam in regno Sycilie videretur et necem Conradi marchionis credebatur nequiter machinatus; denique ipsum pactione sibi placita relaxavit.

CLXXIII. De Henrico imperatore et de adventu eius in Ytaliam.

Anno Domini MCXCIII. Imperator Henricus in Ytaliam rediit et ad inferiora descendens Apuliam et Calabriam et Syciliam subiugavit, et omnia potenter obtinens, bona terre in Alamaniam thesaurosque regni portavit, reginam et filium eius, qui patri successerat, et quos voluit captivavit. O quam digna retributio Dei, que nullum malum preterit impunitum! primates, qui sederunt in insidiis cum divitibus in occultis, mensura qua mensi fuerant metiuntur et iudicio quo iudicaverant iudicantur. Phylipus autem frater imperatoris filiam Ysachii imperatoris Constantinopolitani, que Rogerio Tancredi filio nupserat primogenito, viduam, viro defuncto, in Panormitano invenit palacio et inventam sibi coniugio copulavit legitimo. Sed eundem Ysachium imperatorem Alexius frater excecans et Alexium filium eiusdem incarcerans, imperium usurpavit.

CLXXV. De Henrico imperatore dicto redeunti in Syciliam.

Anno Domini MCXCVII. Rursus imperator in Ytaliam rediens, in Syciliam mortuus est et sepultus. His temporibus quidam extitit loachym Apulus abbas, qui spiritum habuit prophetandi, et prophetavit de morte imperatoris Henrici et futura desolatione Syculi regni et de defectu Romani imperii; quod manifestissime declaratum est. Nam regnum Sycilie multipliciter est perturbatum et imperium propter scisma divisum.

CLXXVI. De obitu imperatoris Henrici et de electione imperatorum.

Anno Domini MCXCVIII. obiit imperator Henricus, filius condam Fredericii imperatoris, in festivitate sancti Michaelis in regno Sycilie; et facta est in regno de imperatoris electione sedicio. Nam imperator Henricus pupillum de augusta relinquens a principibus obtinuerat, quod pupillum

eligerent, etiam ut pupillo quidam fecere fidelitatem. Inter Phylipum quoque Frederici filium, Henrici fratrem patruumque pupilli, nec non et Ottonem ducis condam Henrici Saxonie filium, ad imperium aspirantes in Theotonica regione creatur; nam et uterque principibus electus est. His temporibus Innocentius papa tercius creatur, qui, ut pupillo esset adiutor et ecclesie iura defenderet, adversus quendam Marchoardum, qui se quoque pupilli iura tueri, nescio quo spiritu, fatebatur, utroque gladio dimicans eum viribus declaravit. Apulia, Calabria et Sycilia vario voto vacillarunt. In Almania quoque varietas fuit votorum. Sed cum certantium nec equa iusticia nec equa potestas. Et eodem tempore fuit quidam Cremone vir simplex, fidelis plurimum et devotus, nomine Homobonus; ad cuius obitum et ad cuius intercessionem et merita Dominus huic mundo multa declaravit miracula. Eapropter Romam peregre proficiscens eodem anno, scilicet MCXCIX, presentia summi pontificis adii, et ut in cathologo sanctorum adnumeraretur auctoritate ecclesiastica, per divinam misericordiam feliciter impetravi. Et si vis aliud scire et invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad cronicam pape Innocentii tercii, et multa gesta ibi invenies.[Page 654]

CLXXVII. De terremotu et aliis gestis, que fuerunt eodem tempore. Anno Domini MCCII. Eo anno, quo quasi iubileo fere tota Lombardia tregue vinculatur in lustro. Merito dixerim iubileo, quo et in remissione peccatorum maxima Ierusalem tendentium peregrinorum accingitur multitudo. Inter quos defuere precipui Balduinus comes Francensis, Lodoicus comes Blesensis nec non et Bonifacius marchio Montis-ferati. Eodem anno fuit terremotus magnus in Syria, quo civitates et oppida nutaverunt; etiam ipsa Tyrus fere corruit universa; etiam stellarum visa est in eadem provincia maxima dimicantium pugna, quarum septentrionales de orientalibus victoriam detinebant; quod non est ambiguum futuri excidii presagium extitisse. Nam predicti peregrini apud Venecias congregati, cum Venetis aripientes iter, primo Zadram, municipium Dalmacie munitissimum, in sinu Adriatico situm, Venetis nimis infestum, auctorante venerabili viro Henrico Dandalo duce et stolio Venetorum invadunt; quod non diu obsessum Veneti destruxerunt. Interrea filius imperatoris Ysachii predictus puer Alexius de carcere liberatus Phylipum cognatum suum abiit, Alamanie regem, supplicans, ut sibi auxilium impertiret.

CLXXVIII. De multitudine locustarum et de captione civitatis Constantinopolitane et aliis gestis, que fuerunt eodem tempore. Anno Domini MCCIII, tempore domni Ysachi de Dovaria anno primo potestatis Regii, civis Cremone. Eo anno tanta fuit locustarum multitudo, quod germinancia destruxerunt universa. Eodem anno predictus dux ceterique barones adulescentem unanimiter assumentes, Adriatico mari decurso, ad Illiricum pervenerunt; et primo Duracium puero subiugatur. Ceterisque maritimis subiugatis Constantinopolim per Elepontiacum pervenerunt. Interrea in Venetos, ceteros Latinos Constantinopolim conmorantes Grecorum et Guarangorum deseivit atrocitas, eos impugnans, capiens et occidens. Cumque cives conmoniti legitimum dominum recipere et tyrannum excludere recusarent, irruentes Latini viritim in urbem, catenas fregerunt, naves submergerunt; et cum Blacherne palacium obsiderunt, Oclighitria, id est beate virginis ycona ab evangelista Luca virgini conformata, ad confusionem hostium menibus superponitur, sed a Latinis reverencius adoratur; deinde Basilographia, id est regalis scriptura cuiusdam prophete Danielis Achivi, qui de imperatorum Constantinopolitanorum successionibus enigmata scripsit, producitur in medio; ubi cum legeretur, quod natio flava cesarie ventura esset urbis excidio urbemque gravi expugnatura prelio, tamen ad ultimum quod in ipsos deciderat! peritura, hoc facto confisi Achivi repente irruunt in Latinos; demum urbe terra marique viriliter impugnata et ex magna parte combusta, tyrannus aufugit; ad hec Ysachius restituitur, et Alexius adulescens in mense Iulio in ecclesia sancte Sophye magnifice coronatur; postea eum Greci Latinos publice in iniuriis multis afficerent et privatim occiderent, Latini arma sumentes rursus urbem conbusserunt et predam maximam exportarunt. Ad hec cum se tyrannus Andrinopoli recepisset, imperator iuvenis eum collecto exercitu cum baronibus effugavit et sibi terram subiugavit. Sed cum peregrini magnis remunerandi promisit instarent, malo Grecorum consilio usus, benefitorum ingratus, clam et palam beneficiis adversatur. Igitur inter eum et Latinos çıçaniis seminatı Greci, habentes eum exosum, quendam Constantinum imperatorem efficiunt, populus autem Alexium Murçuffium coronavit. In qua contentione prepotens fuit Alexius ille Marçuffius; adulescens vero Alexius, cum vix regnasset sex mensibus, suffocatur; pater Ysachus moritur. Marçuffius tyrannus a peregrinis de solutione peccunie impeditusolvere diffitetur. Quocirca Veneti pariter et peregrini civitatem unanimiter adoriuntur et universam regionem in circuitu depopulantur et Murçuffium, dum die quadam in nemorosis lateret insidiis, effugarunt et fratrem eius et vexillum et yconam regiam capientes. Econtra de suis Greci viribus presumentes, lingue pocius contumeliis armati vel audacia cordibus, rebellant. Eodem anno rex Armenie Antyochiam obsedit, et licet eam cum exercitu introierit, non tamen optinuit. Eodem anno magister Petrus cardinalis, apostolice sedis legatus, apud Syciliam Cilicie municipium Armeno catholico, XIII episcopis mitras et baculum, me presente, in presentia regis Armeni tribuit pastorem, recipiens ab eo debitam sancte Romane ecclesie fidelitatem.[Page 655]

CLXXIX. De captione eiusdem civitatis Constantinopolitane et de gestis, que fuerunt eodem anno. Anno Domini MCCIII. et tempore supradicti domni Ysachi potestatis Regii. Eodem anno Grecorum verbis contumeliosis superbia increbescente Veneti ad bellum cum baronibus accinguntur et urbem aggressi salo soloque viritim exertant. Machinis, telis et spiculis a Grecis resistitur. Sed fatiscens eum, a militibus impetuose itur in urbem. Murçuffius in fugam vertitur; alius ad imperium, scilicet Ascari, a civibus infatuatis eligitur. Sed adveniente luce a Latinis Blacherna et Bucca-leonum palacia occupantur. Quid plura? Grecorum strage data, gens illa spiritu consilii destituta, condam prudentie filia, nunc sine prudentia, sicut pulvis disperit, sicut fumus evanuit, sicut fenum exaruit. Et Latinorum gens urbem Constantinopolitanam in mense Aprili victorose obtinuit. Ad hec barones Balduinum Frandie comitem in imperatorem diademate coronarunt, Venetis cum lanuensibus votis conniventibus imperium sortientes; nam quarta imperatorie maiestati, triumve

quartarum medietas cessit Venetis, et cetera peregrinis. Bonifacius vero marchio, qui Margaritam imperatricem condam Ysachii, sororem Aimerici regis Ungari, sibi in matrimonio copulavit, Thesalonicam vendicavit. Murçufflius autem Alexium tyrannum adiens et intendens bellum blandiciis et alicuius spei seducere verbis, lumine privatus est. Rediensque ad urbem a Latinis misericordiam impetravit. Sed cum rursus prodictionis moliretur insidias, de columpna Tauri per sententiam precipitatus est, ut, sicut presumpserat *ascendens in altum*, sic de alto rueret in precipitium. Ascari quoque trans Elespontum fugato Latini victoriosi fere monarchiam Grecorum obtinebant; adimpleta est propheta, quam mathematicus quidam predixit Achivus: *Gaudete, septem montes, sed non mille annos*; nondum enim a Constantino millesimus advenerat annus; quando Septem-solium, id est Constantinopolis, a summo gaudio tristicie ruit in ymei. Eodem anno cometa magnus Acriam illustravit. Eodem anno venerabiles viri domnus Soffredus et magister Petrus presbyteri cardinales, apostolice sedis legati, de Syria Constantinopolim adierunt, ubi ab imperatore civibusque Latinis et Grecis apud Sanctam Sophyam honorifice recepti fuerunt. Qui ibidem spiritualia negocia tam inter Grecos quam Latinos diffinierunt; et divina officia me assistente sollempniter celebrantur. Nam et ego ad mandatum predicti cardinalis magistri Petri in sabbato quatuor temporum ante nativitatem Domini in templo sancte Sophye sollempniter ordines celebravit. Qui et ipse pro amore Domini crucifixi peregrinans in Syria sicut prius, ut ei assisterem in Armeniam, sic et post in Grecia fuero comitatus eundem. Eodem anno Greci excitati quasi se, Latini expulsus, in Andrinopolim receperunt. Et si vis aliud scire et invenire, ad tempus et annum eiusdem potestatis Ysachii, et omnia invenies de gestis, que fuerunt eodem tempore.

CLXXX. De obsidione, quam fecit Balduinus imperator Constantinopolitanus Andrinopolim civitatem contra Grecos, et de gestis aliis, que fuerunt eodem tempore.

Anno Domini MCCV. Tempore domni Gualperti de Liazaris, Atto, Raymundus de Sesso et socii consules comunis Regii. Eodem anno Balduinus imperator Constantinopolitanus Grecos in Andrinopoli congregatos obsedit; sed a Blactis forinsecus agregatis et Cumanis cum quibusdam ex baronibus suis vel occisis vel captis pariter et captus est et consequenter occisus. Ideoque recedens ab osidione confusus Latinorum exercitus, tamen rediit in urbem Constantinianam illesus; cui frater imperatoris, Henrico Venetorum duce defuncto, prefuit Henricus nomine, vir audax et exercitio militaris. Marchio quoque Bonifacius, qui Thesaulonie regnum circumquaque provinciis subiugaverat, Grecis et Blactis adversantibus, multa perpressus est; fuit igitur hoc anno Grecis aridens et blanda, sed Latinis adversa fortuna. Qui mathematici predixerunt Achivi. Verumtamen invictus[Page 656]

marchio vinctum, quem ceperat, Alexium condam imperatorem cum uxore misit in Lombardiam, ut in custodia servaretur et a tyrannide, quam semper exercuerat, arceretur.

CLXXXI. De sopita seditio de occidentis imperio et aliis gestis.

Anno Domini MCCVIII, tempore consulum civitatis Reg., scilicet domnus Guido de Regio, Arduinus de Sesso et socii. Et eo anno sopita est seditio regum de occidentis imperio concertantium; nam Phylippo in thalamo nequiter occiso successit feliciter Otto quartus. De quo noctu quidam previderat visionem se esse Dei gratiam dicentem et futura hiis versibus prophetantem, scilicet:

Sufflo . da terre. rexer. Otto ver. Errat Adolfus.

Xer dolor Otto. suspice finit ibidem.

Paranigmatis hoc anno sententia declaratur sic: *Sufflo*: inspiro; *da terre*: dic terrenis. Quod *rex Otto*. *Xer* ratione dolet, et quod *errat Adolfus* electus Coloniensis. *Xer dolor Otto tibi* expositio est clausule precedentis. *Suspice finit ibi*: ostendit enim visio previsorii temporis determinatio: hunc annum in pariete pictum, litteris annotatum. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad ystoriam supradictorum consulum, et invenies.

CLXXXII. De rege Syclie et de gestis, que fuerunt in Yspania contra

Saracenos, et qualiter devicti fuerunt et mortui a Christianis.

Anno Domini MCCXII. Tempore consulum civitatis Reg., scilicet domnus Paganus de Saviola, Çufredus Taculorum et Thomax Taculorum et socii comunis Reg.

Eodem anno rex Syclie predictus Romam veniens a summo pontifice et a Romanis magnifice receptus est. Deinde navigio lanuam attingens per eorum manus et marchionis Guilielmi Montis-ferati usque Papiam deductus est et gloriose receptus, per eos ad Lambrum usque deducitur. Cui Cremonenses ad Lambrum alacriter occurrentes eum Cremonam cum tripudio et astiludio deduxerunt. Sed ex Papiensibus militibus, dum reverterentur, multi a Mediolanensibus capti sunt. Rex vero Mantuam et Veronam atque Tridentum felicissime transiens in singulis civitatibus extitit gloriosus. Exinde per Curiam introivit in Alamaniam, et a principibus de die in diem fidelitates accipiens, apud Magonciam coronatur; postmodum apud Ratisbonam sollempnem curiam celebrans a rege Boemie et ab aliis multis principibus fidelitates accepit. Eodem anno Almiramomelin rex Mauritanie veniens in Yspaniam cum infinita multitudine Saracenorum minitabatur non solum Yspanias, sed et Romam, immo Europam capere universam. Sed Innocentius papa tercius Christianorum signaculo crucis insignitorum fecit contra illos multitudinem congregari; qui prima facie Malagon castrum ceperunt, deinde Colatravam, Alarcos, Benaventum, Petrabonam occupantes, ad Portum Muradal fixere temptoria; Portus autem artus erat, ut ducenti homines quasi toti mundo transitum prohiberent; nostris igitur hesitantibus, ecce duo Christicole sub specie venatorum; quibus precedentibus ex alio montis latere contra spem Saracenorum totus montem pertransiit Christianorum exercitus die sabbati, non longe a castris inimicorum Christi temptoria figens; die Lune diluculo dispositis aciebus in campo, XVII Kal. Augusti congressi sunt Christiani et inimici Christi. Et per gratiam salvatoris christianissimis regibus Aragonum et Navarre et Castelle trucidantibus hostes terga verterunt; quorum infinita milia Christicolarum[Page 656]

marchio vinctum, quem ceperat, Alexium condam imperatorem cum uxore misit in Lombardiam, ut in custodia servaretur et a tyrannide, quam semper exercuerat, arceretur.

CLXXXI. De sopita seditio de occidentis imperio et aliis gestis.

Anno Domini MCCVIII, tempore consulum civitatis Reg., scilicet domnus Guido de Regio, Arduinus de Sesso et socii. Et eo anno sopita est sedicio regum de occidentis imperio concertantium; nam Phylippo in thalamo nequiter occiso successit feliciter Otto quartus. De quo noctu quidam previderat visionem se esse Dei gratiam dicentem et futura hiis versibus prophetantem, scilicet:

Sufflo . da terre. rexa. Otto ver. Errat Adolfus.

Xer dolor Otto. suspice finit ibidem.

Paranigmatis hoc anno sententia declaratur sic: *Sufflo*: inspiro; *da terre*: dic terrenis. Quod *rex Otto*. *Xer* ratione dolet, et quod *errat Adolfus* electus Coloniensis. *Xer dolor Otto tibi* expositio est clausule precedentis. *Suspice finit ibi*: ostendit enim visio previsorii temporis determinatio: hunc annum in pariete pictum, litteris annotatum. Et si vis aliud invenire de gestis, que fuerunt eodem tempore, recurre ad ystoriam supradictorum consulum, et invenies.

CLXXXII. De rege Sycilie et de gestis, que fuerunt in Yspania contra Saracenos, et qualiter devicti fuerunt et mortui a Christianis.

Anno Domini MCCXII. Tempore consulum civitatis Reg., scilicet domnus Paganus de Saviola, Çufredus Taculorum et Thomax Taculorum et socii comunis Reg.

Eodem anno rex Sycilie predictus Romam veniens a summo pontifice et a Romanis magnifice receptus est. Deinde navigio lanuam attingens per eorum manus et marchionis Guilielmi Montis-ferati usque Papiam deductus est et gloriose receptus, per eos ad Lambrum usque deducitur. Cui Cremonenses ad Lambrum alacriter occurrentes eum Cremonam cum tripudio et astiludio deduxerunt. Sed ex Papiensibus militibus, dum reverterentur, multi a Mediolanensibus capti sunt. Rex vero Mantuam et Veronam atque Tridentum felicissime transiens in singulis civitatibus extitit gloriosus. Exinde per Curiam introivit in Alamaniam, et a principibus de die in diem fidelitates accipiens, apud Magonciam coronatur; postmodum apud Ratisbonam sollempnem curiam celebrans a rege Boemie et ab aliis multis principibus fidelitates accepit. Eodem anno Almiramomelin rex Mauritanie veniens in Yspaniam cum infinita multitudine Saracenorum minitabatur non solum Yspanias, sed et Romam, immo Europam capere universam. Sed Innocentius papa tercius Christianorum signaculo crucis insignitorum fecit contra illos multitudinem congregari; qui prima facie Malagon castrum ceperunt, deinde Colatravam, Alarcos, Benaventum, Petraboram occupantes, ad Portum Muradal fixere temptoria; Portus autem artus erat, ut ducenti homines quasi toti mundo transitum prohiberent; nostris igitur hesitantibus, ecce duo Christicole sub specie venatorum; quibus precedentibus ex alio montis latere contra spem Saracenorum totus montem pertransiit Christianorum exercitus die sabbati, non longe a castris inimicorum Christi temptoria figens; die Lune diluculo dispositis aciebus in campo, XVII Kal. Augusti congressi sunt Christiani et inimici Christi. Et per gratiam salvatoris christianissimis regibus Aragonum et Navarre et Castelle trucidantibus hostes terga verterunt; quorum infinita milia Christicolarum

[Page 657]

gladius devoravit. Nam per quinque leugas fugati sine numero corruerunt. De nostri habita victoria procedentes Ubendam civitatem viriliter occuparunt; in qua sexaginta milia utriusque sexus gentilium ceciderunt; demum Christianus exercitus ad propria remeavit, agens gratiam salvatori, cui est honor et gloria in secula seculorum Amen. Eodem anno alias dicitur, quod rex Francie cum comite Montis-fortis et aliis hominibus crucecignatis, et de prelio et exercitu, quod fuit in Yspania, quando apud Amuradal imperator Saracenorum qui devictus fuit, qui quinquaginta reges habebat, a tribus regibus Yspanis, scilicet Castelle, Navare, Aragonense, cum adiutorio Portugalensium; de quibus XI milia prima acie mortui fuerunt, et cum adiutorio Portugalensium.

Eodem tempore et anno in mense Novembris iste papa Innocencius apud

Lateranum celebravit concilium in anno MCCXV.

CLXXXIII. De multitudine puerorum Alamanie.

Eodem anno MCCXII. trium puerorum quasi duodecimum, qui se visionem vidisse dicebant, crucis signaculum assumentium in partibus Colonie persuasu multitudo innumera pauperum utriusque sexus et puerorum Theothonie peregrinantium in Ytalia cruce signatorum accessit, unanimi corde et una voce dicentium se per sicum maria transituros et terram sanctam Ierusalem in Dei potencia recuperaturos; sed demum quasi evanuit universa. Eodem anno fuit fames adeo valida, precipue in Apulia et Sycilia, ut matres etiam pueros devorarent.

CLXXXIII. De disconfita Mediolanensium facta per Cremonenses

apud Castrum-Leonis et de amissione carocii Mediolanensium.

Anno Domini MCCXIII. Domnus Thomax Caritatum, Gualbertus de Liazaris et socii consules comunis Reg.; die pascha sancto pentecostes, qui fuit in festo sanctorum martyrum Marcellini et Petri, videlicet secundo die intrantis Iunii, Cremonenses in auxilio Papiensium, quorum multi, ut prediximus, a Mediolanensibus in transitu regis de Papia Cremonam capti fuerunt, apud Castrum-Leonis unanimiter cum carocio convenerunt, non habentes in auxilio nisi trecentos milites Brixienses. Et ecce factus est repente sonus, Mediolanensibus cum suo carocio sicut sagitte volantis et sicut fulgura festinancium. In quorum auxilio convenerant Placentini milites et arcarii, Laudenses et Cremonenses milites et pedites, Novarienses et Cuman milites et de Brixiensibus totidem aut plures, quot in Cremonensium auxilium prediximus advenisse; hii omnes unanimiter uno clamore et furore, uno spiritu et impetu Cremonenses ceterosque milites forinsecos impetunt et impugnant, fugant, capiunt et expugnant. Sed Cremonenses habuerunt victoriam de dictis Mediolanensibus et de exercitu et conduxerunt carocium supradictorum Mediolanensium per vim cum magna victoria et leticia in civitate Cremone. Eodem anno die XIII. Iunii et tempore domni Guilielmi de Pusterla potestatis Bononie promiserunt commune Bononie et iuraverunt facere guerram Mutinensibus pro comune Regii et servire comune Reg. et fuit tempore domni Ysachi de Dovaria potestatis Reg. nec facere pacem cum predictis Mutinensibus sine voluntate comunis Regii, ut in registro comunis Reg. continetur.

De Sybilla Tyburtina.

Decem autem Sibille fuerunt, que a doctis auctoribus fuisse describitur. Ista

Sybilla in Greco nomen est in Hebreo vates, in Latino propheta, nobili genere orta, filia

Manasses, de quinta etate David fuisse describitur. In Greco Tyburtina, in Latino nomen Habimnea, id est ipsa per angelum nuntiata fuit nascendi, et ipsa virginitatem habuit et castitatem custodivit.

CLXXXV. Sybilla Tiburtina.

Cum autem circuisset Sybilla regina totum orbem terrarum, Asiam, Macedoniam; Perostatiam, Aggaguliram, Asiam, Ciciham, Pontum, Pamphyliam, Galatiam hec fuit una pars mundi. Deinde venit Egyptum, Ethyopiam, Bagada et Babiloniam, Affricam provincias circuivit et prophetavit et predicavit per spiritum prophecie, a bonis bonum, a malis malum, nullam falsitatem. Scimus enim, quia omnia vera adnuntiavit et verum dixit. Tunc audierunt principes Romanorum et adnuntiaverunt ad Traianum. Tunc tantum deprecaverunt eum, ut milites suos mandavit ad Palatinum, et fecit eam cum grandi honore perducere Romam. Cum autem venisset Sybilla nomine Habimnea in Romam, tunc vocaverunt omnes iudices Romanorum, nobilissimi Romani intendentes et videntes pulchrum et delicatum vultum eius; capilli eius sicut aurum fulgentes. Cilia super oculos nigra. Caro eius et gula sicut lac candida; intendentes in ea, admirantes

[Page 659]

et dicentes: Magistra et domina, tam magnum et decorosum est corpus tuum et vultus tuus, quale numquam vidimus. Volumus te, domina, interrogare, ut interpretes nobis sompnum, quod vidimus in una nocte. Centum iudices Romanorum sompnum vidimus in una nocte. Tantum vidimus famam et laudationem de te, ut interpretes nobis istud sompnum. Et respondens regina Sybilla Habimnea nomine et dixit ad eos: Venite post me, et eamus foras de loco stercoris et de loco immundo et exeamus in Adventinum montem, et predicabo et testificabor vos, populi Rome. Nunc vero centum seniores quod vidistis sompnum simul in una nocte narrate eum michi. Tunc respondentes dixerunt ad eam: Vidimus novem soles splendentes super omnem terram. Et respondit Sybilla, dixit ad eos: Novem soles, quos vidistis, novem generationes huius seculi sunt. Et dixerunt ad eam: Bene, domina, credimus, quia verum dicis. Primus sol erat fulgens et splendidus. Secundus sol splendidior nimis et eminens et elatus nimis. Tercius autem sol erat sanguineus. Quartus vero sol totus sanguineus. Quintus autem sol tenebrosus, lampas sicut tonitrua. Sextus autem sol nubilosus nimis, habens aculeos sicut scorpiones. Septimus autem sol terribilis, habens colorem sanguineum. Octavus autem sol fulvus et sanguineus totus. Nonus autem sol tenebrosus, unum radium tantum habens. Tunc regina dixit: Isti novem soles, quos vidistis, omnes novem generationes sunt. Primus sol prima generatio est. Isti erunt homines simplices et clari et amantes libertatem veram, mansueti, benigni et amantes consolationem pauperum, sapientes etiam satis. Secundus sol secunda generatio est. Erunt homines crescentes, splendide viventes, colentes Deum, sine malicia conversantes in terra. Tercius sol tertia generatio est; exurget enim gens adversus gentem, et pugna multa interveniet inter Romanos. Quartus autem sol quarta generatio est; erunt homines abnegantes; exurget enim mulier ab oriente nomine Maria, de stirpe Hebreorum, per aurem concipiens, habens filium nomine Iesu, et deponet legem Hebreorum, suscitans legem suam propriam; permanebit regnum eius. Et aperientur ei celi, et fiet enim vox de celo dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo michi bene complacuit*, et exercitus angelorum ministrabunt ei; et eliget sibi viros piscatores de Galilea et legem suam dabit eis et dicet: Intelligite quod accepistis a me, predicate omnes gentes per LXXII linguas. Tunc dixerunt sacerdotes Iudeorum ad eam: Terribile est, ut istud fiat; de quibus te interrogavimus, domina, volumus scire. Et respondit Sybilla, dixit ad eos: Quod interrogare vultis dicite michi. Et dixerunt ad eam: Audientes audivimus gentes dicentes, quod Deus patrum nostrorum generaturus sit filium. Numquid credendum est hoc? Et respondit Sybilla, dixit sacerdotibus: Neccesse est istud fieri. Hoc a prophetis dictum est, sed vos non creditis in eum. Et dixerunt ad eam sacerdotes Hebreorum: Nos non credimus. Qui enim verbum et testamentum dedit patribus nostris, et auferat manus suas a nobis? Et respondit Sybilla, dixit ad eos: Si Dominus celi genuerit filium, similis erit patri suo. Et postea in similitudinem infantis resurget et insurget inter gentes; et qui non possunt salvum facere, quomodo facit persecutionem super terram Hebreorum, et auferet parentem cum filiis. Ita vero et cum filii vivunt sanguine inscuntur anni filii invenient.

[Page 660]

Et postea eos detinebit, phylosophiam et regnum suum et predicans et sciens in terra Hebreorum. Exurgens Cesar Augustus, nomen sempiternum, et subiciet omnem terram sibi. Et postea convenient omnes sacerdotes Hebreorum, et erit civitas magna, et habitabunt in ipsa civitate populi multi, septuaginta due lingue; nec gaudeas gaudio Bizantia sexaginta annos, sed non regnabit. Et postea exurget [rex] de propria tribu et vovet vota, holocausta faciet, et continuo occident eum. Exurgent postea alii reges, et unus ab inimicis igni conburetur, et non nocebit Romanis. Et postea exurget rex per C nomen, fortis in prelio, iudicans iusta; et destruentur templa ydolorum et cultum Libani; et erit in diebus illis: templa sancta in nomine Domini et altaria in nomine sancti adorabunt, et constituet amenitatem ecclesie in honorem Domini et apostolorum et martyrum. In octava autem generatione exurget rex per B, et de B procedit Audon, et de Audon procedit A, et de A procedit A, et de A procedit A, et de A procedit A, et de A procedit A. Ipse secundus A erit bellicosus et nimis fortis in prelio; et de A procedit R, et post R procedit L. Tunc exurget rex Salicus de Francia per K nomen, et ipse erit pius, magnus, nobilissimus et potentissimus et misericordiosus et faciens iusticiam pauperibus; tanta erit virtus et sanctitas in eo, ut

etiam cacumen arboris unde vadet inclinet ei; ad aquas cum venerit, in occursum eius fingentur; nec antea carnalis homo similis eius fuit nec postea erit, usque dum rex Romanorum venerit; et post K procedit B, et post B procedit XII. B, et de B procedit A. Et ipse A erit nimium bellicosus et fortis in prelio, et erit multum persecutus per aquas, et numquam condempnabitur in manus inimici et morietur extra regnum, et anima eius erit in manu Domini. Tunc exurget rex per V nomen, de una parte Salicus, de alia Longobardus, et ipse habet potestatem contra paganos et Christianos et contra inimicos omnes ad expugnandos. Et erit in diebus illis rex per O nomen, et erit potentissimus et fortis et bonus ad iusticiam faciendam, et sanguis ipsius complicabitur cum genere Grecorum; et de ipsa muliere natus erit rex per O nomen; erit bellicosus nimis, et cor eius in manu Domini, et non regnabit ultra VII annos; et de ipso procedit rex per O nomen; erit sanguinarius et falciarius, sine fide et sine veritate,[Page 661]

et non regnabit multum; et per ipsum erit multa malicia in terra et multa sanguinis effusio. Et erunt destructe ecclesie per ipsius potestatem, in aliis regionibus multe tribulationes et prelia erunt. Tunc exurget gens super gentem, Capadocia, Pamphylia, captivabunt in ipsius tempore. Ideo quia [non] introivit per hostium in ovile. Et postea exurget rex mansuetissimus per A nomen. Et erunt sub eo multe pugne inter Agarenos et Grecos et inter paganos multa prelia et pugne multe; Syriam expugnabunt et Pentapolim captivabunt; ipse rex erit de genere Longobardorum. Et erit intencio et bella inter regem Salicum et Longobardorum. Ipse rex Salicus erit per E nomen fortis et crudelis; et postea insurgent Agareni et captivabunt Tarantum et Barym et multas civitates captivabunt et volunt venire Romam; *et non est qui resistat* eis nisi Deus deorum et dominus dominorum; et convenient Armeni et ipsos disperdent, et accurent Persi et apponunt fossata iuxta orientem et expugnabunt Romam et obtinebunt pacem aliquantum; intrabit belligerator rex Grecorum in Ieropolim, et destruet templa ydolorum Apocalibani; et veniet locusta et brucus et comedent omnes labores eorum et fructus. Capadocia et Cilicia a fame cruciabantur. Et postea erit amplius rex Salicus, et denegabunt filios parentes et parentes filii. Et frater fratrem tradet in mortem; et frater cum sorore miscebitur, et pater cum filia, anicula cum iuniore sibi coniunguntur et senex cum virgine. Sacerdotes fornicabunt; episcopi malefactores erunt; et fiet multa effusio sanguinis, et templa sanctorum polluent et potenter regnabunt; et erunt fornicatores et inmundicie et Sodomite, et ut visio eorum in contumelia appareat. Et erunt homines raptores et contumeliosi, odientes iusticiam et amantes falsitatem, et iudices Romanorum inmutabuntur. Cum uno loquentur et alium occident, et si hodie mittunt, alium mutabunt propter peccuniam accipiendam, et omnes iudices non iudicabunt rectum, sed falsum. Et erunt in illis diebus rapaces, cupidos et periuri et amabunt munera, falsitates et destruent legem veritatis; et fient terremotus diversi, insule, civitates et regiones dimersione demergebunt; et erunt per loca pestilencie hominum et bovum et mortalitas ovium, et terra ab inimicis desolabitur, et non prevalent consolari primi. Et postea exurget rex per B nomen, et erunt sub illo bella, et regnabit annis duobus. Et postea exurget rex alius per A nomen et veniet et obtinebit regnum aliquantum tempus. Et veniet Romam et captivabit eam et [non] mortificabit animam eius in manu inimicorum eius, usque dum impleat tempus vite sue; et erit bonus et regnabit multa tempora. Et postea exurget rex per B nomen, et de ipso B procedit XII. B, et regnabit multa[Page 662]

tempora de ipso genere Longobardorum usque ad annos C. Tunc postea exurget rex per E nomen, Salicus de Francia. Tunc erit *incipium dolorum, qualis non fuit ab inicio mundi*. Et erunt in diebus ipsius multe tribulationes et sanguinis effusio et terremotus per civitates et regiones, et terre multe captivabuntur; *et non est qui resistat*, quia Dominus erit iratus in terra, *et non est qui eruat* Romam, sicut erit deprehensa in manu ipsius regis. Et erunt homines rapaces, cupidi tyranni, odientes pauperes et convenientes et contribulantes iniusticie nequissime et priore ex terminisa captivabuntur; *et non est qui resistat* aut eruat terram pro multa malicia et cupiditate eorum. Devincens regnum Christianorum et omnes insulas, civitates, disperdit templa ydolorum et omnes paganos ad baptismum convertit; et per omnes civitates altaria et cruces hedificabuntur. Tunc in illo tempore perveniet Egyptum Etyhopyam manus eius Deo; qui non adoraverit crucem, gladio peribit. Postquam decem anni completi fuerint, surget princeps de tribu Dan; hic erit filius perditionis, qui subvertet omnem et condempnabit eam terram. Hoc erit in nona generatione. Tunc eminentur anni sicut menses, et menses sicut septimana, et septimana sicut dies, et dies sicut hora. Tunc exurget rex a septemtrione et ab Affrica cum exercitu eius innumerabilie sicut arena maris, quem Alexander inclusit, Gog et Magog et Anoc et Agerbanaen, Nageridethar et Apodmei et Levi et Iunii et Narzei et Didimi et Armate et Rablei et Amareia et Echamcomi et Armade et Grimaldi et Amathuni, qui dicuntur Genozethal, et Tarbei et Alenis et Modiei et Arcinei et Asalandria. Isti sunt XXII reges, qui surgunt super terram; et de fetore eorum peribit tertia pars que sunt in mundo. Et tunc exurget mulier sedentem in bestia, *habentem capita VII et cornua X* et portans in manus suas phyalas plenas abominatione et ira et furore, et de ipsa peribit tertia pars de hominibus et de omnibus qui erunt in mundo, et postea veniet grando super terram et delebit terciam partem. Et postea exhibunt due locuste de puteo et delebunt terciam partem de hominibus. Et postea exhibunt duo equi de mari et delebunt terciam partem de hominibus. Et postea veniet sonitus maris, per totum mundum audient sonitus magnos, et delebit terciam partem terre. Et tunc cadent stelle de celo, *sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem*, et mare et flumina fient sanguinea. Nam mare et flumina et fontes siccabuntur, et postea pluvie non erunt in tempore

illo; pisces interibunt. Et cum hoc viderit rex Romanorum, vadet ad domum Domini in montem Calvarie, et tollet rex coronam de capite suo et ponet super crucem, et expandens manus suas ad celum, et tradet regnum Christianorum Deo patri, et assumetur crux sancta in celo simul cum corona regis; et cum venerit Dominus iudicare seculum[Page 663]

per ignem, tunc apparebit signum filii hominis in celo et sancta crux. Et tunc veniet Helyas et Enoch et preliabunt cum Antichristo. Et ille trahet tropheum suum et percutiet Helyam et Enoch, et de sanguine eorum comprehendere debet turba celorum. Et tunc veniet Dominus post tercium diem et suscitabit eos; et veniet Dominus et interficiet filium perditionis spiritu oris sui; et iudicabit Dominus seculum per ignem, et comburetur subito omne seculum et in tremore destructum erit seculum. Hic est finis seculi et dies iudicii. Beati qui parati sunt et digni in illa hora, quando hec fient, eritque regnum sanctorum in eternum, regnabunt sancti cum Christo in secula seculorum. Amen.

Prima persecutio Iudeorum. Tempus apostolorum. Herodes. Primum sigillum. Secunda persecutio. Tempus martyrum. Nero. Secundum sigillum. Tercia persecutio hereticorum. Tempus doctorum. Constantinus. Tercium sigillum. Quarta persecutio Saracenorum. Tempus virginum. Macometh. Quartum sigillum. Quinta persecutio filiorum Babilonis in spiritu. Machseimurus. Quintum sigillum. Sexta presens est. Saladinus. Sextum sigillum. Septima sequitur. Tempus calamitatis et miserie. Hic VII. rex est qui proprie: *Septem reges fuerunt, V occiderunt. Unus est et alius nondum venit; oportet illum brevi tempore manere. X reges sunt*, et alius surget post illos, et ipse erit potentior prioribus, dicitur Antichristus, quamvis alius sit futurus post eum non minor in malicia, designatus in cauda.

Sub porticu picta est avis magna, quae habet ungues magnos et septem capita. Unumquodque caput corona tectum. Cauda avis est serpens magnus incurvatus, cuius caput coronatum est. Tunc adscriptum: Tempus primi sigilli a Iacob patriarcha usque ad Moysen et Iosue.

Secundus est usque ad Samuelem et David.

Tercii a David usque ad Helyam et Helyseum.

Quarti usque ad Ezechiam.

Quinti ab Ezechia usque ad transmigrationem Babilonis.

Sexta a transitu Babilonis usque ad obitum Hesdre et Malachye prophete.

Septima ab obitu Malachye usque ad patrem Iohannis Baptiste.

In novo Testamento.

Apertio primi sigilli a Çacharia usque ad obitum beati Iohannis euuangeliste.

Apertio secundi sigilli ab obitu beati Iohannis usque ad Constantinum augustum.

Apertio tercii sigilli ex eo usque ad Iustinianum.

Apertio quarti sigilli ex eo usque ad Carolum.

Apertio quinti sigilli ex eo usque ad presentes dies, in quibus sub apertione sexta percucienda Babilon.

Post erit sabbatismus populo Dei, qui delectabilis multitudine pacis, usque ad ultimum Antichristum, qui expectatur in cauda draconis. In hoc sabbatismo exit[Page 664]

apertio VII. sigilli. Post solvetur Sathanax, qui tam erit occultus, in paucis de carcere suo, et excitabit excitans gentes per ultimum Antichristum, qui figuratur in cauda draconis, ad delendum nomen Cristianum, et multos sanctos occidet, et paulo post ipse occidetur a Domino, et post sequetur dies iudicii.

CLXXXVI. De XV signis terribilibus, quia venient prope finem mundi et consumationem seculi.

Ieronimus in annalibus Iudeorum invenit signa XV ut mortui resurgant.

De die iudicii.

Dies ire dies illa solvit seclum in favilla

.

Pie Iesu domine, dona eis requiem. Amen.

CLXXXVII. INCIPIUNT VERSUS MERLINI.

Futura presagia Lombardie, Tuscie, Romagnole, marchie Anchontane, Apulie, Marchie, Francie, Alamanie, Provincie, Yspanie per Merlinum declarata.

Venient in mundo et duo erunt sine utendo,

Gravia condura multa sunt inde futura.

.

Gravia quam plurima substinebit Ymola dura,

Que rempensata cito erit a langore sanata.

CLXXXVIII. Nomina omnium abbatum Sancti Prosperi.

Martinus primus.

Iohannes secundus.

Landulfus tercius [MLVII, tempore Stephani pape IX. et imperatoris

Henrici III].

Petrus quartus.

Giselbertus quintus [MLXXIII, tempore Gandulfi episcopi Reg. et Gregorii pape VII].

Senaldus sextus.

Pacificus septimus.

Iohannes octavus.
Atinulfus nonus.
Amiço decimus [MCXLIII, tempore Alberi episcopi Reg.].
Guido de filiis Manfredis XI.
Benedictus duodecimus.
Iohannes tercius decimus.
Prosper quartus decimus.[Page 665]

Gerardus de Sesso quintus decimus.
Gregorius de Bonicis sextus decimus.
Guilielmus de Lupicinis XVII.
Additamenta.
Albertinus de Levallossis.
Zifredinus de Mutis.
Petrus de la Gazata.
Franciscus de Rubertis, comendatarius, et Vanuzius de Bismantua.
Philippus de Zobollis.
Post cuius mortem monachi sancti Benedicti per aliquos menses ipsam
abatiam obtinuerunt, que postea fuit a summo pontifice impetrata per dominum
Alphonsum Zobolum, prefati domini Philippi nepotem, qui vi et armis possessionem
abstulit de manibus prefatorum monachorum et eam adhuc obtinet, licet *sub iudice*
lis sit. 1500. decimoseptimo Kal. Maias; [et millesimo quingentesimo primo prefati
monachi in ipsam abatiam reversi sunt].
CLXXXVIII. Nomina omnium episcoporum, qui fuerunt in civitate Reg.
Protasius primus.
Cromacius secundus.
Antoninus tercius.
Helyas quartus.
Sanctinus quintus.
Carosius sextus.
Helpicius septimus.
Sanctus Prosper octavus. [Anno ab incarnatione Domini CCCCXLIII, tempore
Leonis pape primi].
Thomas nonus. [Anno CCCCLXX. et translavit predictus episcopus Thomas
corpus beatissimi Prosperi de ecclesia sancti Apollinaris, et reconditum per predictum
episcopum in ecclesia monasterii noviter constructa ad honorem ipsius sancti Prosperi
extra prope civitatem per predictum episcopum, successorem sancti Prosperi].
Stephanus decimus.
Deusdedit undecimus.
Faventius duodecimus.
Theodorus tercius decimus.
Donumdei quartus decimus.
Adrianus quintus decimus.
Benenatus sextus decimus.
Paulus septimus decimus.
Lupianus decimus octavus.
Mauricius decimus nonus.
Constantinus vigesimus.[Page 666]

Iohannes vigesimus primus.
Syxtus vigesimus secundus.
Geminianus vigesimus tercius.
Appollenaris vigesimus quartus. [DCCCXVI. et adduxit corpus beati Venerii
in civitate Regia tempore Lodoici imperatoris primi].
Adelmus vigesimus quintus.
Vitalis vigesimus sextus. [Iste Vitalis episcopus XXVI. tempore Lotharii imperatoris,
filii Lodoici, condam Karoli Magni, avi dicti Lotharii, et Gregorii pape IIII,
exempli precepti, qualiter Vitalis episcopus Reg. curtes duas, videlicet Masenzaticum,
Luçariam, que fenerate erant imperatori Lothario, extullit, et fuit sub anno
DCCCXXVIII].
Norpertus vigesimus septimus. [Qualiter domnus Lodoicus imperator concessit
privilegium et confirmavit Norperto Regino episcopo propter addustionem
privilegiorum de omnibus privilegiis episcopo Norberto eiusque antecessoribus datis,
in Aquis-grani in palacio predicti imperatoris et tempore Pascalis pape ann.
DCCCXLIII].
Sigifredus vigesimus octavus. [Anno DCCCXLVIII, tempore Lodoici imperatoris,
filii condam Lotharii, et Leonis pape IIII].
Arnon vigesimus nonus.
Rotfredus trigesimus.
Paulus trigesimus primus. [Anno DCCCLXXX, tempore Karoli tercii, qui
dedit et donavit episcopo Paulo insulam Suçarie cum suis pertinenciis].
Aaron trigesimus secundus. [Anno DCCCLXXXII, tempore Iohannis pape
VIII. et Karoli tercii imperatoris fuit episcopus Aaron].
Aço interfectus est a paganis, trigesimus tercius.
Petrus trigesimus quartus. [Anno DCCCCII, tempore Berengarii regis et

Leonis pape V].
Fredulfus trigesimus quintus.
Gerardus trigesimus sextus.
Eribertus trigesimus septimus. [Anno Christi DCCCCXL, tempore Ugonis
et Lotharii regis et Stephani pape X. concessum fuit privilegium de con bus
episcopatus et].
Adelardus trigesimus octavus. [Anno DCCCCXLIII, tempore Lotharii].[Page 667]

Ermenaldus trigesimus nonus. [Anno DCCCCLXXI, tempore Ottonis imperatoris
I. et Alexandri pape II].

Teuço Parmensis quadragesimus.

Sigifredus Parmensis quadragesimus primus.

Condelaudis depositus fuit, quadragesimus secundus.

Adelbertus XLIII. [Adelbertus MXL, et omnes ecclesie, que sunt monasterii
sancti Benedicti circa Padum, et ecclesiam sancte Marie de Vilolis cum omnibus
decimis et primiciis et omnes ecclesie, que sunt sub dicto monasterio, habuit ab
imperatoribus Lothario et Conrado].

Vulmanus XLIII.

Gandulfus XLV. [Ann. MLXXIII. et Gregorii pape VII, imperante Henrico].

Eribertus XLVI. [Ann. MLXXXII, tempore Henrici imperatoris secundi et
Gregorii pape VII].

Bonus-senior XLVII. [MCXV, tempore Henrici tercii et Pascalis pape secundi,
et obiit X].

Adelmus XLVIII.

Alberius XLVIII. [MCLV, tempore Frederici primi et Adriani pape IIII,
et obiit MCLXII].

Albriconus L. [MCLXXXIII. Regini habuerunt victoriam de Moroello et
tempore Lucii pape III; et obiit MCLXXXVII].

Petrus de Albriconibus LI. [Ann. MCLXXXIX, tempore Clementis pape III.
et Celestini pape tercii, et obiit M].

Nicholaus Vicentinus LII. [MCCXXII, tempore Frederici secundi et Honorii
pape III, et obiit in civitate Melfi MCCXLIII].

Guilielmus de Foliano LIII. [MCCXLIII. et obiit MCCLXXXIII, tempore
.....].

Additamenta.

Guilielmus de Bobio de ordine fratrum Minorum LIII. MCCXCI. factus
est episcopus per domnum Nicholaum papam IIII, obiit MCCC. die III. mensis
Septembris.

Millesimo CCC I III Septembris frater G[uilielmus] Reg. episcopus mortuus
est Bobii, et statim omnes illi, ad quos de iure et de consuetudine pertinet eligere,[Page 668]

ad petitionem domni Açonis marchionis Hestensis et domini civitatis Regii in
concordia electus est frater Iohaninus de Maloxelis de ordine Minorum, et quia
minister generalis noluit dare licentiam, petita fuit a domno Bonifatio papa VIII,
qui etiam noluit dare, sed casavit quod factum est et dedit domno Matheo de
Vicecomitibus de Mellano, qui renuntiavit. Tandem millesimo CCCII III Aprilis
in consistorio privato domnus Riçardus de Senis, utriusque iuris professor, Sancti
Eustachii diaconus cardinalis, nominavit pro episcopo Regino quendam domnum
Henricum de Casalorciis de Cremona, decretorum doctorem, canonicum Cremonensem,
et papa et multi cardinales, qui eum cognoverant propter librum, quem
fecit de potentia pape, probando ipsum esse dominum in spiritualibus et temporalibus
per totum mundum, consenserunt; postea die ultimo Aprilis Rome Laterani
publicatus est et in festo beate Marie Magdalene subsequenti consecratus Ananie
de mandato domni pape per venerabilem patrem domnum fratrem Matheum,
Portuensem episcopum, asistentibus sibi V episcopis, scilicet Laudensi, Ymolensi,
Ortanensi, Albiganensi et quodam Yspano, et venit Regium XVII. die Agusti
tempore domni Bonifacii pape VIII, anno octavo pontificatus eius, in predicto
anno et millesimo.

D. Bertolomeus de Enurea.

D. Laurencius de Pinotis de Regio.

D. Seraphinus de Trino.

D. Ugolinus de Sesso MCCCLXXXVII.

D. Thebaldus de Sesso MCCCLXXXVIII.

D. Iacobus Antonius de la Turi MCCCCXXXVIII.

D. Babtista de Palavicinis [de Gibello] MIIIXLV.

D. Antonius de Trombettis de Ferraria 1466.

D. Bonfranciscus de Arlotis de Regio 1477. fuit electus die 9. Iulii, decessit
autem anno Domini 1508. die

D. Iohannes Lucas Pontremulensis.

D. Ugo Rangonus comes Mutinensis fuit electus in episcopum Regien. MDX.

~~D. Marcellus de Corvinis presbyter cardinalis electus fuit episcopus Regienis~~

1640. Idibus Octobris.

Albertus Miliolus. Date: 2014-06-17